No. F

SYNODVS
DIOECESANA
VLADISLAVIENSIS.

Ab Illustrissimo & Reuerendissimo Domino,

D. MATTHIA LVBIENSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia

EPISCOPO VLADISLAVIENSI ET POMERANIÆ

In sua Ecclesia Cathedrali.

ANNO DOMINI,
Millesimo Sexcentesimo Trigesimo Quarto.
Die xvj. Maii cum vniuerso Clero Diœcesis eiusdem Celebrata.

VARSAVIÆ,
Apud Viduam Joannis Rossowski, S. R. M. Typ:
Anno Domini, 1634.

1

INSIGNIA Illustrissimi & Reuerendissimi Domini,

D. MATTHIÆ LVBIENSKI, DEI Gratia Episcopi Vladislauiensi & Pomeraniæ



TAurino capiti capulo tenus abditus Ensis,
Censuram placidâ cum pietate probat.
Ensis Iustitiæ vindex vehementior: huius
Vim Taurus cohibens, exerit aure crucem.
Tantàne Lubienidûm, quæres, industria Tauro?
Ensis Apostolici Taurus acumen habet.

Indictio Synodi.

MATTHIAS LVBIENSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia
EPISCOPVS VLADISLAVIENSIS ET POMERANIÆ.

REVERENDIS^{mis} AD M^{um} REVEREN^{dis}, Reuerēdis, Venerabilibus, Religiosis, Abbatibus, Prælatis, & Canonicis, tam Ecclesiæ Nostræ Cathedralis, quam Collegiatæ Crusuiciensis, necnon Præpositis Prioribus & Guardianis Regularibus, Decanis Foraneis seu Ruralibus, Parochis, Cōmendarijs, cæterisque quibusuis Ecclesiarum Rectoribus & Presbyteris, qui de iure vel consuetudine Synodo Diœcesanæ tenentur, vel consueuerunt interesse, per & intra Diœcesim Nostram Vladislauiensem vbilibet cōsistentibus, ad quos pręsētes Nostræ peruenerint literæ. Nobis in Christo dilectis. Salutem in Domino.

QVamprimùm Diuina ordinante voluntate ad Episcopatum Vladislauiēsem translati & euecti fuissemus, hoc præcipuum semper versabatur in animo nostro desiderium, vt non solùm Vniuerso Clero, sed etiam toti Christi fidelium congregationi Diœcesis huius quàm maximè prodesse posset sollicitudo Nostra Pastoralis. Quamobrem post primum ad eandem ingressum per-

functi periculo pestilentiæ, quæ in ipso initio specialiter familiam Nostram peccatis Nostris ita exigentibus inuaserat, & debita in Curia Regiæ Maiestatis residentia peracta, statim generalem Visitationem Ecclesiarum aggressi sumus, eamque quantum alia Reipublicæ negocia, quorum mole tempore præsertim præteriti Interregni distinebamur, permittebant, sollicitè prosecuti sumus, quatenus lustrato, cognitoque totius Diœcesis statu ad bonos mores inducendos, & prauos corrigendos, Hæresimque extirpandam hoc qualicunque Nostro labore via sterneretur, & opportuna ad id remedia adhiberentur. Perlustratis igitur insignioribus quidem per Nosmetipsos, alijs autem inferioribus partim per Archidiaconos, partim per Commissarios Nostros Ecclesijs Diœcesis huius, ne Visitationū prædictarum fructus pereat, verum vt inde tam Clerus quam populus Nobis subiectus salutaribus vitæ institutis erudiatur, & corrigatur, iuxta Sacrorum Canonum præscriptum Synodum Diœcesanam, communicato priùs cum Venerabili Capitulo Nostro consilio, duximus indicendam & intimandam, Deum Optimū Maximum precati vt hoc nostrum institutum pro sua infinita bonitate, ad laudem sui nominis, Ecclesiæque suæ vtilitatem promouere velit. In eiusdem itaque Dei Omnipotentis Patris & Filij & Spiritus Sancti, vnius & Indiuiduæ Trinitatis nomine Synodum Diœcesanam pro Feria tertia post Dominicam quartam post Pascha, quæ erit dies Decima Sexta Mensis Maij, Anno præsenti in Ciuitate Nostra Vladislauiensi inchoandam & successiue alijs diebus terminandam indicimus & intimamus per præsentes. Quod vobis omnibus

bus ſupraſcriptis quorum intereſt inſinuamus, & ad cuiuſlibet Veſtrûm notitiam indubitatam deducimus. Mandantes in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub pecuniarijs arbitrio Noſtro infligendis in ſubſidium Excōmunicationis pœnis, quatenus pro die & loco deſignatis (prouiſis tamen Presbyteris præſertim in locis populoſioribus qui in abſentia veſtra Sacramenta populo adminiſtrent) in habitibus decentibus vt moris eſt cōpareatis; Iura & Priuilegia Eccleſiarum Veſtrarum, Indices Supellectilis Eccleſiaſticæ, Literas Ordinum, Prouiſionum, & Diſpenſationum, qui eas nondum in Viſitatione exhibuiſtis, necnon publicorum ſcandalorum, ſi quæ forte in Parochijs veſtris reperiuntur, connotationem Vobiſcum adferatis: ac præterea de ſatiſfactione Decretis Viſitationis, tam per Nos quam per Archidiaconos vel Commiſſarios Noſtros in Eccleſijs Veſtris Parochialibus factis Nos ſufficiēter informare, de ijſque omnibus quæ ad Officium Veſtrum Paſtorale pertinent rationem reddere parati ſitis. Certificantes vos omnes & ſingulos ſupraſcriptos, quod ſiue in Synodo prædicta comparueritis ſiue non, Nos nihilominus ad ipſius dante Domino celebrationem procedemus, & ea quæ ex vtilitate Eccleſiarum Diœceſis Noſtræ fore videbuntur conſtituemus ac decernemus, cōtumacia cuiuſque non obſtante, pœnis tamen ſupraſcriptis contra inobedientes; & ſine legitima cauſa abſentes inflictis & extenſis. Quod ſi aliquis ex vobis ob legitimum aliquod impedimentum Synodo adeſſe non poterit, cauſas ſuæ abſentiæ per Viciniorem Parochum explicet, & ea quæ ſtatum Eccleſiæ ipſius concernunt per eundem ad Synodum remittat. Porrò

quandoquidem in Archidiaconatu Pomeraniæ adeò pauci Sacerdotes inueniuntur, vt vnus quandoque trium, quandoque quatuor Ecclesiarum curam gerere necesse habeat,& si se ab ijs causa Synodi absentauerit, magna in Diuinis Officijs & in administratione Sacramentorum, præsertim in tanta distantia locorum, negligentia committeretur, indulgemus vt Parochis & Commendarijs circa Ecclesias suas remanentibus, (nisi peculiarem aliquam necessitatem Synodi adeundi habuerint) soli Decani Rurales, cum R.do Domino Officiali Gedanēsi pro celebratione huius Synodi cum sufficienti de statu Decanatuum suorum, necnon de Ecclesiarum desolatarum vel ab Hæreticis interceptarum informatione se sistant, & ea quæ hic statuentur postea ad notitiam Vniuersi Pomeraniæ Cleri singuli in Congregationibus suorum Decanatuum proximè celebrãdis deducant. Volumus insuper & sub pœnis suprascriptis præcipimus, ne de præmissis aliquam ignorantiam quisquam prætendat, vt præsentem Processum Nostrum per affixionem valuis Ecclesię Nostrę Cathedralis Vladislauiensis priùs publicatum, vel eius transumptum sub Sigillo Admodum Reuerēdi Domini Vicarij in Spiritualibus & Officialis Generalis Nostri editum, per singulos Archidiaconatus vnus ad alium Rectorem, Ecclesię sibi vicinioris, executione à tergo ascripta, quantò citius solita cursoria deferri curet, vltimus verò eum suo Archidiacono, aut Officiali Nostro Generali Vladislauiē: repręsentet. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium pręsentes literas manu Nostra subscripsimus, & Sigillo Nostro iussimus consignari. Dat. Vladislauię die 6. Mensis Februarij. Anno Domini M. DC. XXXIV.

PRÆFATIO

Synodo per Illustrissimum & Reuerendissimum Dominum, D. EPISCOPVM VLADISLAVIENSEM & Pomeraniæ præmissa.

SYNODVM Diœcesanam Fratres Charissimi in Dei nomine celebraturi, supernacaneum esse existimauimus eius Nostri instituti causas longiore sermone prætexere, neminem enim Vestrum Diuinorum Eloquiorum & Sacrorum Canonum adeo rudem & ignarum esse arbitramur, vt eum lateat inter cæteras easque grauissimas Episcopales functiones, vigilantiam super gregem commissum Episcopo adeo propriam esse, vt inde etiam nomen suum sit sortitus, quem enim Græce Episcopum hunc Latine Speculatorem recte appellare possumus; non alia credo de causa nisi vt nomine ipso admonitus animarum sibi concreditarum diligentem curam gerat, seduloq; prouideat, ne aliqua ex iis sua culpa vel negligentia pereat, cuius sanguinem de manu ipsius summus ille Pontifex Christus IESVS in extremo Dei iudicio sit requisiturus. Cum autem huic functioni nulla alia commodiori ratione Episcopus satisfacere valeat, quam si Diœcesis suæ visitationem ex præscripto Sacrorum Canonum crebro instituat, atque ex ea defectus & errores tam in fide quam in moribus deprehensos corrigat, bonasque leges & salutaria recte viuendi instituta populo sibi subiecto præscribat, ideo Nos in eminentissima huius Diœcesis specula Diuina Ordinatione constituti cum diligentius Officii Nostri rationes expenderemus, in eam statim ab ipso suscepti regiminis initio cogitationem deuenimus, vt quam-

quamprimum munus Visitationis Ecclesiarum ad Nostram curam pertinentium aggredi, illudque ad debitum effectum cum aliquo animarum Nobis commissarum fructu deducere possemus. Cui quidem Nostro instituto etsi multa qua priuatim qua publice obiicerentur impedimenta, illis tamen per gratiam Dei vtcunque superatis, proxime præteritis duobus annis Nobiliora vtriusque Diœcesis Nostræ loca in persona Nostra, non sine aliqua difficultate, lustrauimus, reliqua autem partim per Archidiaconos, partim per nonnullos alios Commissarios Nostros visitari procurauimus, in eaque Visitatione tam per Nos quam per alios peracta vitam & mores Cleri ac populi diligenter inspeximus, ac defectus in vtroque statu occurrentes scripto connotauimus, eosque quamprimum corrigendos vel prorsus amouendos in singulis Parochiis, iis quibus intererat serio demandauimus. Sed quia quæ priuatis Ecclesiis sparsim sunt iniuncta, & vniuersæ Diœcesi Nostræ plurimum profutura existimamus, si in vnum collata, & Synodico eoque vnanimi consensu a vobis omnibus recepta, ad vsum & instructionem totius Cleri Nostri præscriberemus, atque sic præscripta & ordinata in publicum proferremus, cuius rei causa hanc præsentem Synodum instituendam Fraternitatesq; Vestras ad eam conuocandas esse censuimus. Quamuis enim multa ex iis quæ hic sunt tractanda, partim Ordinaria, partim etiam delegata potestate Nostra corrigi & emendari possent, omnia tamen de consilio & assensu Fraternitatum Vestrarum sancire decreuimus, vt tanto libentius, & maiori cum fructu ea quæ hic animis omnium consentientibus statuentur, a vobis recipiantur, ac celerius Deo adiuuante executioni demandentur; Certo persuasi Vos ipsos vbi eorum, quæ hic a Nobis proponentur, vsum & necessitatem congnoueritis non difficulter illa approbaturos, nec ea in temerariam & longiorem quam æquum sit disceptationem vocaturos. Et quidem pro consuetudine Synodorum recepta essent hic nonnulla de disciplina Eccle-

Ecclesiastica ac de conuersatione Cleri a Nobis fusius commemoranda, sed quia eam Prouinciam Admodum Reuerendo Domino Sebastiano Grotkowski I. V. D. Vicario Nostro Generali demandauimus, ideo iis quæ in hac materia dici possent omissis, ea hic tantum summarie, idque propositionis tractandorum punctorum loco, attingemus, quæ ad cultum Diuinum conseruandum, & ad Clericorum Officium debite exequendum authoritate huius Synodi magis necessario ordinanda esse iudicauimus. Cum enim Sacerdotum, eorum præsertim quibus cura animarum incumbit, præcipuum munus sit, Diuinis Officiis ex præscripto Ecclesiæ Vacare; tremendum Missæ Sacrificium offerre: Sacramenta a Christo instituta ministrare, populum sibi commissum verbo & exemplo erudire; aliaque munia procurandæ animarum sibi commissarum salutis obire, dignum sane & necessarium esse existimamus, vt hoc tam sublime & arduum opus rite & summa cum diligentia ab iis peragatur. Quoniam autem nonnullos illorum ex visitatione comperimus suo hac in parte Officio deesse. Ac Diuinorum quidem Officiorum non tantum priuatam recitationem, sed etiam publicam decantationem negligere: Missas vero, ad quas siue ex præscripto Canonum, siue ex peculiari Ecclesiarum Fundatione obligantur, omittere, aut certe minus paratos ad eas celebrandas accedere; in Sacramentorum administratione valde desides & negligentes esse. Oniumque ad curam suam pertinentium & preciose Christi Sanguine redemptarum salutem minus curare, ac earum conscientias obignorationem Casuum tam Apostolicæ quam Nostræ Sedi reseruatorum, vel etiam quandoque ob defectum iurisditionis periculose implicare: Dotationes Ecclesiarum suarum notabiliter diminutas vel omnino suppressas non curare, illarumque recuperationem prorsus intermittere: ruinis Sacrorum ædificiorum & aliorum ad suum vsum pertinentium minime obuiare: exiguo vel nullo Christianæ charitatis affectu erga proximos moueri,

ueri, miserabiliumque personarum, præsertim vero Sacro Ordini adscriptarum necessitatibus remisse subuenire: Pia legata vel perseipsos vsurpare, vel per alios perperam vsurpata negligenter vindicare: complures denique, quod magis dolendum est, ita viuere vt sæcularibus personis, quibus bono exemplo prælucere deberent magno sint scandalo & offendiculo. Proinde pro Officio Nostro Pastorali, omnium quidem Christi fidelium ad curam Nostram pertinentium, sed vel maxime Cleri Nostri periculis animarum occurrere volentes, eum de singulis his defectibus, eo fere quo commemorati sunt ordine in præsenti Synodo commonendum, & ad eos vel corrigendos vel prorsus amouendos oportuna remedia adhibenda, aliaque nonnulla quæ ad bonum Ordinem huius Diœcesis seruiunt sancienda esse consilio & assensu Fraternitatum Vestrarum accedente proposuimus. Prius tamen solenni ex formula Papæ Pii IV. Fidei Catholicæ professione, & nonnullis aliis Cæremoniis quæ in Pontificali Romano præscriptæ habentur præmissis. Quod dum aggredimur, Diuini numinis auxilium ardentibus votis Fratr. charissimi imploremus, vt eo adiuti hoc nostrum institutum pro gloria ipsius, & pro vtilitate Diœcesis Nostræ, ac pro omnium Nostrum salute susceptum, ad eum quem intendimus effectum fæliciter deducamus.

ACTA
Seu Decreta & Statuta Synodalia
VLADISLAUIENSIS
DIOECESIS.

M.DC.XXXIV. Die XVI. Maij, & sequentibus sancita.

De Diuinis Officijs ritè peragendis, & de præparatione Sacrificio Missæ præmitten:

CVM Sacra eloquia eum maledictum pronuncient qui opus Domini facit negligenter, Ministri autem Ecclesiæ peculiariter Diuino cultui sint mancipati, in eam præcipue curam & cogitationem omnes incumbere debent, vt preces tam Nocturnas quam Diurnas tempore opportuno ita attentè & deuotè absoluant, vt quòd ore dicunt corde intelligant, neque sine grauissima, à Summistis aliâs expressa, causa recitationem illarum vnquam intermittant. Eos enim qui ad Diuinum Officium ratione Ordinis vel Beneficij recitandum obligantur, si illud intermiserint, non solum pro rata temporis & Officij neglecti parte fructus suos non facere, sed

Hierem. c. 48.

sed etiam grauissimo peccato conscientias suas obligare ex præscripto SS. Canonum, præsertim verò Constitutionis Pij Papæ Quinti, quæ incipit. Ex proximo Lateranense Concilio pia & salubris sanctio emanauit &c. præsens Synodus declarat.

Tit. de CultuDiuino.

Quod verò ad omissionem earum Horarum Canonicarum quæ in omnibus Ecclesijs Parochialibus Dioecesis Nostræ diebus Dominicis & Festis non minus ex laudabili consuetudine quam ex præscripto Synodi Volucianæ decantari debent, necnon Officij B. Virginis MARIÆ, vbi ad illud decantandum ex Fundatione nondum prorsus extincta, aut notabiliter diminuta, peculiaris obligatio habetur pertinet, præcauendo ne cultus Diuinus diminuatur, neue intentio piorum Fundatorum defraudetur, contra eiusmodi negligentes, quos Nobis vel Officio Nostro Decani Rurales deferre debebunt, pœnas Nostras arbitrarias ad vsum earundem Ecclesiarum conuertendas extendemus. Ac præterea Fundationes eiusdem Officij B. M. V. quas in nonnullis Ecclesijs nondum ad effectum, ob negligentiam eorum quorum interest, deductas esse in Visitatione comperimus, vt intra Semestre deducant seriò mandamus.

Qui autem Missas, quæ ex obligatione Fundatorum statis temporibus sunt celebrandæ, omiserint, statuimus vt similiter portionem census pro rata Missarum neglectarum parte per eosdem Decanos detrahenda, & pro Fabrica vel alijs necessitatibus eiusdem Beneficij conuerten: amittant. Porrò per viscera misericordiæ Dei omnes & singulos Nostræ Dioecesis Sacerdotes obtestamur, monemus, & rogamus, vt ita parati ad

tremen-

tremendum Missarum Sacrificium accedant, ne Corporis & Sanguinis Domini rei efficiantur; ac proinde memores quod sancta sanctè sint tractanda, nonnisi feruenti Oratione ac diligenti Conscientiæ examine, & si eam grauatam senserint, Sacramentali Confessione præuia hæc Sacra Misteria celebrare præsumant. Cuius rei causa decernimus quatenus Decani Rurales; pro locorum & Sacerdotum intra suum Districtum existentium commoditate, Confessarios assignent, & vt omnes Presbyteri, non tantum pro morè hominum timoratæ conscientiæ, hoc est octauo vel ad summum decimo quinto die, sed quotiescunque grauiori aliquo delicto conscientiam suam oneratam hebuerint, Sacramentalē reconciliationem celebrationi Missæ præmittant, diligenter attendant, eiusque rei in Congregationibus suis Decanalibus seriam rationem à singulis exigant, negligentes verò pœnâ Trium Marcarum pro necessitatibus illarum Ecclesiarum quas obtinent conuertenda puniant. Quod si contumaces fuerint eos Officio Nostro pœnâ duplici puniendos deferant.

1. Corin.

De Sacramentorum administratione & de cura animarum debitè exercenda.

CVra animarum & Sacramentorum administratio, Scientia Scientiarum à grauissimis Ecclesiæ Doctoribus est iudicata, ad eam tamen exercendam his temporibus etiam paulò rudiores ob defectum doctiorum assumi coguntur, quorum plerique propter adeò

D.Greg. par.1. Past.c. 1.

tenues Ecclesiarum suarum reditùs, vt ad ipsos alendos non sint sufficientes, libros necessarios, qui sparsim & prolixè doctrinam hanc tradunt, difficulter cōparare possunt. Idcircò in subsidium eorum Epistolam Pastoralem Jllustr^mi olim D. Maćiciowski authoritate conscriptam, & à Sede Apostolica recognitam & approbatam, quasi quoddam promptuarium pro curatis Sacerdotibus confectum, ad vsum Diœcesis Nostræ Decretis præsentibus nostris Synodalibus adiūgemus, præcipientes omnibus & singulis Parochis, seu quibusuis alijs Presbyteris Secularibus & Regularibus curam animarum exercentibus, & Sacramenta administrantibus, vt ipsius modum & doctrinam compendiose traditam in omnibus sequantur, & exequantur. Ad eum etiam effectū Librum Rituum seu Agendorum ex Decreto Concilij Prouincialis ad normam Ritualis Ecclesiæ Romanæ omnium Ecclesiarum Magistræ recognitum, & recens Typis Cracouiæ excussum, necessariò ab ijsdem est comparandum, & præscriptum ipsius circa administrationem Sacramentorum in omnibus obseruandum. Nos verò hic authoritate præsentis Synodi id tantùm adiungimus, quòd ad debitam reuerentiam Venerabilis Eucharistiæ Sacramenti, in quo Corpus & Sanguinis CHRISTI Domini verissimè continetur, maximè pertinere arbitramur. Cùm enim in Ciuitatibus & Oppidis etiam frequentioribùs fieri videamus quandò ad infirmos hoc Sanctissimum Sacramentum defertur, nullos alios præter Presbyterum, & vnum vel alterum Scholarem comites habere, idque fiat non tàm negligentiâ populi quàm potiùs quod ad tàm piùm & meritorium opus is non inuitetur; Jdeò decer-

decernimus vt quoties hoc Diuinissimum Sacramentũ in prædictis Ciuitatibus & Oppidis ad infirmos erit deferendum, signum sono campanæ paruæ in medio templi affixæ detur, & Christi fideles ad illud comitãdum, vel si occupati fuerint saltim ad adorandum inuetẽtur, propositis etiam ex ambona Quadraginta dierum Indulgentijs, quas Nos præter alias à Summis Pontificib' in eum finem concessas, omnibus hunc cultum Sacratissimo huic Eucharistiæ Sacramento exhibentibus authoritate Nostra Ordinaria bonitati Diuinæ confisi libenter elargimur.

Cùm autem ad eundem Venerabilis Sacramenti cultum non minùs quoque pertineat, vt in Ciborio decẽter præparato & benè serato asseruetur, ac vt ante illud, tunc adminùs cum Ecclesia est aperta, & Diuina Officia non celebrantur, lampas vel candella aliqua accendatur, volumus & omninò præcipimus, vt hæc omnia in Ecclesijs tàm Secularibus quàm Regularibus diligẽtissimè obseruentur. In quibus etiam nunquam hoc Venerabile Sacramentum in publicum exponi vel in Processione (quæ quidem sine Baldachino nulla ratione peragi debet) deferri, aut etiam aliquas Indulgentias publicari licebit, nisi facultate à Sede Apostolica, seu ipsius Nunciò concessa, & per Nos admissa aut à Nobis obtenta, idque sub pœnâ arbitraria per Nos infligenda.

De Doctrina Christiana fidelibus populis tradenda.

MAgno Nostro cum dolore ex visitatione intelleximus

ximus prima Fidei rudimenta ita à multis ignorari, quod ex plebe plerique iam adulti reperiantur, qui se signo Crucis munire, Orationem Dominicam recitare, Sacramentales Confessiones facere nesciunt, rari verò qui Decalogi & Ecclesiæ Præcepta caleant, rarissimi denique qui præcipua Fidei Nostræ mysteria præsertim, de Sanctissima Trinitate & incarnatione Christi, saltim ruditer prout tenentur, intelligant. Vnde fit, quod opera hostis humani generis, rudis plebecula impiè superstitionibus potius ac auidius studeat, quam Mysteria Fidei ad salutem necessaria addiscere, Diuinaque mandata obseruare curet. Inhærendo igitur tàm Sacri Concilij Tridentini quàm Prouincialibus & Synodalibus Decretis statuimus authoritate præsentis Synodi, vt Parochialium Ecclesiarum Rectores, Cōmendarij, & alij omnes & singuli Presbyteri in subsidium curæ animarum assumpti, tàm Sæculares, quàm Regulares, quicunque Concionatorum munus obeunt, singulis Dominicis & alijs Festiuis diebus semper ita suas Conciones sermonesque ad populum circa Missarum solennia accommodent, quatenus ipsorum sermonum seu Concionum magna pars vel ex Cathechismò Romano (quem in Vernaculam linguam mandato Jllmi Domini Archiepiscopi Gnesnensis translatum, & typis propediem imprimendum ab omnibus Curatis comparari volumus) iuxta dispositionem in eo contentā, vel ex alijs Autoribus, qui ad hoc magis pro captu audientium apti videbunrur, desumptam Doctrinam Cathechisticam complectatur, & Rudimenta Fidei suo Ordine congruaq; Methodo iuxta Ordinationes Prædecessorum Nostrorum tradantur. Vbi autem pomeridiano

Sess. 24. c. 4. de Reform. Syn. Lipsit. de Doctr. Clui.

ridiano tempore ,populus ad Ecclesiam exhortationibus,& pulsu campanarum inuitatus (quòd in omnibus Ciuitatibus & Oppidis populosioribus, fieri omnino cupimus) conuenire solet , tunc iam non in Concione antemeridiana , sed in congregatione pomeridiana, eadem ipsis Doctrina Christiana diligenter explicetur. Quod si Parochi,& Concionatores quicunque tàm Seculares quàm Regulares, etiam Claustrales, facere hoc contempserint , contra tales ex delatione Decanorum Ruraliũ, ad pœnas arbitrarias in Domino procedemus.

Quoniam verò ad munus Curatorum vel maximè pertinet , vt non tam ex vultu oues suas cognoscant, quàm vt statum animarum illarum perspectum & exploratum habeant. Ideò illis seriò iniungit Sacra Synodus, vt circa visitationem, quam ostiatim initiò cuiuslibet anni facere pro laudabili more consueuerunt, nomina Parochianorum suorum, per singulas domos quotannis conscribant : de vità & conuersatione diligenter inquirant,& si quid scandalosum, vel superstitiosum repererint amoueant : Rationes annuæ Confessionis & Communionis ab illis exigant : Ad Festa & ieiunia ab Ecclesia indicta obseruanda, necnon ad Missas diebus solennibus audiendas, seriò admoneant : Pueros rationis capaces, ad Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ ritè percipienda informent , & ad frequentanda præscriptis ab Ecclesia temporibus, inducant : Omnem denique pietatem & honestatem in teneros illorum animos, quàm diligentissimè instillent. Neque etiam inposterũm, eosdem suos Parochianos (quod à plerisque, contra expressam Lipscianam Constitutionem fieri comperimus) causa Indulgentiarum vel ali-

Tit. de Smo Eucharis. & Missæ sacrificio.

quarum ſolennitatum, in vicinis Eccleſijs celebrari ſolitarum ita deſerant, vt propter ipſorum à ſuis Eccleſiis abſentiam Miſſæ Sacrificio, & concione priuentur, niſi fortè Presbyteros habuerint, qui ipſorum vices ſuppleant, aut illa Eccleſia in qua ſolennitas peragitur, ita ſit vicina, vt in ea ſui Parochiani Diuinis commodè vacare poſſent. Ad eorum quoque officium pertinebit, Dominos tẽporales Oppidorum, & quoſuis alios Magiſtratus Ciuiles monere (quos & Nos præſentibus ſeriò monemus) ne contra præſcriptum SS. Canonum, & Conſtitutionum Prouincialium, fora tàm hebdomadalia quám annalia, alioſque mercatus diebus Dominicis & ſolennioribus Feſtis, in contemptum Creatoris ſui & Sanctorum exercere permittant. Idque ſub pœna Excõmunicationis, in prædictis Canonibus & Prouincialibus ſtatutis expreſſa. Quòd ſi tempore meſſis ob varias diebus profeſtis occupationes, & ob inueteratam conſuetudinem, id euitari non poterit, ſaltem ab eiuſmodi negociationibus abſtineant, quo ad Diuina Officia in Eccleſijs non fuerint expedita. Similiter etiam eoſdem Dominos & Magiſtratus, commonefaciant, ne contra eorundem Canonum & Prouincialium Conſtitutionum præſcriptum, Iudæos familiam Chriſtianam, præſertim fœminei ſexus, annua mercede conducere, aut nocturna ipſius opera vti, in contumeliam nominis Chriſtianæ permittant.

Cap. Omnis Extr. de Feriis Conſ. Prouinc. de Fer. lib. 2

c. 1. & 2. Extra de Iudæis, de Iud. l. 4.

De publicatione Bullæ Cœnæ Domini & Caſuum Sedi Epiſcopali reſeruatorum.

Quan-

QVandoquidem omnibus Presbyteris, tàm Secularibus quàm Regularibus pro Confeßionibus excipiendis expoſitis, ad conſcientias pœnitentium ritè dirigendas, cognitio Caſuum tàm Sedi Aoſtolicæ quàm Noſtræ reſeruatorum, maximè ſit neceſſaria, in Bulla autem Cœnæ Domini, præcipui Caſus Papales expreßi habeantur. Ideò volentes vt eam non minùs ipſi Confeſſarij præ oculis habeant, quàm etiam vt Concionatores eandem ex ambona ſæpius populo denuncient, ſtatuimus: vt non tantum Feria Quinta Magna, prout Decreto Sanctæ Sedis Apoſtolicæ præcipitur, integra publicetur, ſed etiam quandocunque vel Iudicia publica Nobilitatis celebrabuntur, vel cauſa Dedicationis ſeu Tituli Eccleſiæ, maiori populi concurſus, quàm aliâs cõſueuit apparabit, puncta illiùs quæ pro his partibus maximè ſeruiunt, & quæ hîc à Nobis inſeruntur, in memoriam populo per Concionatores vernacula lingua reuocentur. Qui verò id facere neglexerint, pœnis condignis ex delatione Decanorum Ruralium arbitrio Noſtro infligendis, punientur.

Puncta autem Bullæ Cœnæ Domini, Sedi Apoſtolicę reſeruata, quæ hanc Diœceſim Noſtram afficere, aut in ea contingere poſſunt, hæc præcipua ſunt.

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum DEI.

Nos igitur vetuſtum & ſolennem hunc morem ſequentes, excõmunicamus & anathematizamus ex parte Dei Omnipotentis Patris & Filij & Spiritus Sancti, authoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Noſtra, quoſcunque Huſſitas, Videuitas, Luteranos, Zuingullianos, Caluiniſtas, Vgonotas, Anabaptiſtas, Trinitarios, ac omnes & ſingulos alios

Hæreticos, quocunque nomine nuncupentur, & cuiuſcunque Sectæ exiſtant, & eorum credentes, ipſorumq; receptatores & fautores, & generaliter quoſlibet defenſores ac eorundem libros Hæreſim continentes; vel de religione tractantes, ſinè authoritate Noſtra, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut tenentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes, ex quauis cauſa publicè vel occultè quouis ingenio vel colore, necnon Schiſmaticos, & eos qui ſe à Noſtra & Romani Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia, pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

Jtem excõmunicamus & anathematizamus omnes, qui in terris ſuis noua pedagia ſeu gabellas, ad id poteſtatem non habentes imponunt vel augent, aut imponi vel augeri, prohibita exigunt.

Jtem excõmunicamus & anathematizamus omnes illos, qui equos, arma, ferrum, filum ferri, ſtannum, chalybem, omniaq; alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, lignamina canapem, funos tam ex ipſo canape, quam ex quacũque alia materia, & ipſam materiam aliaque huiuſmodi, quibus Chriſtianos impugnant, deferunt Saracenis, Turcis & alijs Chriſti nominis inimicis; Necnon illos qui per ſe, vel alium ſeu alios, de rebus Chriſtianæ Reipublicæ, ſtatum concernentibus, in Chriſtianorũ perniciem & damnum, ipſos Turcas, & Chriſtianæ religionis inimicos, certiores faciunt, illiſq; ad id auxilium, cõſilium, vel fauorem, quomodolibet præſtant. Non obſtantibus quibuſcunque Priuilegijs & conceſſionibus quibuſcumq;, Principib⁹ & Dominis, ſiuè priuatis perſonis, per nos & ſedem prędictam hactenus conceſſis, quæ illis nolumus in aliquo ſuffragari.

Item

Jtem excõmunicamus & anathematizamus omnes, interficientes, mutilantes, vulnerantes, verberantes, percutientes, capientes, in carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eosdem eijcientes, à suis Diœcesibus, territorijs, terris seu dominijs, eaque mandantes, vel rata habentes, seu præstantes eis auxilium, consilium, vel fauorem.

Jtem excõmunicamus & anathematizamus omnes, & singulos Cancellarios, Vicecancellarios, & Consiliarios ordinarios, & extraordinarios, quorumcunq; Regum, & Principum, ac Præsidentes Cancellariarum, Cõsiliorum & Parlamentorum, necnõ Procuratores generales eorundem, vel aliorum Principum Sæcularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, quocunque nomine nuncupentur, aliosque Iudices, tam Ordinarios quàm delegatos, necnon Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Commẽdatarios, Vicarios, & Officiales, qui per se, vel alium seu alios authoritate propria, & de facto quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & literarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & Decimarum ac alias Sprituales, & Spiritualibus annexas causas, ab Auditoribus, & Commissarijs Nostris, alijsque Iudicibus Ecclesiasticis auocant, illarum cursum, & audientiam, ac personas, Capitula, Cõuentus, Collegia, causas ipsas prosequi volentes, impediunt; ac se de illarum cognitione, tanquàm Iudices interponunt, ac partes Actrices quæ illas committi fecerunt & faciunt, ad reuocandum & reuocari faciendum, Citationes, vel inhibitiones, aut

alias literas, in eis decretas, & ad faciendum vel consentiēdum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris & pœnis illis contentis, absolui statuunt & compellunt; vel alias executionem literarum Apostolicarum, vel Executorialium Processuum, ac Decretorum prædictorum, etiam sub prætextu violentiæ prohibendæ, vel quòd ad Nos informandos vt ipsi dicunt supplicauerint, aut supplicari fecerint, nisi ipsæ supplicationes huiusmodi, coram Nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur, quomodolibet impediunt, vel suum ad id fauorem consilium aut assensum præstant.

Quiué ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam quorumcunq; personas Ecclesiasticas, Capitula, Conuentus, & Collegia Ecclesiarum quarumcunque, coram se ad eorum Tribunal, audientiam, Cancellariam, consilium, vel Parlamentum, præter iuris Canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt: Vel procurant directè vel indirectè quouis quæsitò colore. Necnon qui Statuta, Ordinationes, Constitutiones Pragmaticas, seu quæuis alia Decreta, in genere vel in specie, ex quauis causa, & quouis quæsitò colore; ac etiam prætextu literarum Apostolicarum, vsu non receptarum, seu reuocatarum, vel cuiusuis consuetudinis, aut Priuilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur vel deprimitur: aut alias quouis modò restringitur; seu Nostris & dictæ Sedis ac quarumcunque Ecclesiarum Iuribus, quomodolibet directè vel indirectè, tacitè vel expressè præiudicatur.

Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque supe-

ſuperiores vel inferiores Prælatos, & omnes alios quoſcunque Iudices Eccleſiaſticos Ordinarios, quomodolibet impediunt, quominùs ſuâ Iuriſditione Eccleſiaſtica, contra quoſcunque vtantur, ſecundum quòd Canones & Sacræ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, & Decreta Conciliorum generalium, & præſertim Tridentini, ſtatuunt.

Quiuè Iuriſdictiones, ſeu fructus, reditus & prouētus, ad Nos & Sedem Apoſtolicam, & quaſcunque Eccleſiaſticas perſonas, rationè Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum, pertinentes vſurpant; vel etiam quauis occaſionè, vel cauſa, ſinè Romani Pontificis, vel eorum, ad quos iure pertinent, expreſſa licentia, ſequeſtrant.

Quiuè Collectas, Decimas, taleas, præſtantias, & alia onera, Clericis, Prælatis, & alijs perſonis Eccleſiaſticis ac eorum & Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum bonis, illorumquè fructibus reditibus & prouentibus huiuſmodi, abſquè ſimili Romani Pontificis, ſpeciali & expreſſa licentia imponunt; & diuerſis etiam exquiſitis modis exigunt; aut ſic impoſita, etiam à ſpontè dantibus & concedentibus recipiunt: necnon qui per ſe, vel alium, ſiue alios, directè vel indirectè prædicta facerè, exequi, & procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel fauorem aut votum, ſeu ſuffragium, palàm vel occultè, præſtare non verentur, cuiuſcunque ſint præeminentiæ, dignitatis, Ordinis, conditionis, aut ſtatus, etiamſi Imperiali aut Regali præfulgeant dignitate, ſeu Principes, Duces, Comites, Baronos, Reſpublicæ, & alij Potentatus quicunq;, etiam Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, &

terris

terris quoquo modò præsidẽtes; aut quauis etiam Pontificali dignitate insigniti: Innouantes Decreta super his, per Sacros Canones tam in Lateranensi nouissimè celebrata, quàm alijs Concilijs generalibus edita, etiam cum censuris & pœnis in eis contentis.

Jtem excõmunicamus & anathematizamus omnes, & quoscunq; Magistratus, Senatores, Præsidentes, Auditores, & alios Iudices, quocunque nomine vocentur; ac Cancellarios, Vicecancellarios, Notarios, Scribas, ac Executores & Subexecutores, & alios quoquo modò se interponentes, in causis Capitalibus seu Criminalibus, contra personas Ecclesiasticas, illas baniendo, capiendo, processando, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, etiam prætextu quorumcunq; Priuilegiorum, à Sede Apostolica, ex quibusuis causis, ac sub quibuscunque Regibus, Ducibus, Principibus, Rebuspu. Monarchis, Ciuitatibus, & alijs quibuscũq; Potẽtatib⁹, quocũq; nomine cẽseantur, quæ nolumus illis in aliquo suffragari, illa omnia exnunc in irritũ reuocãdo. Hactenus Casus ex Bulla Cœnę Domini excerpti.

A quibus quidem Casibus, nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo; & hoc nonnisi; de stando Ecclesiæ mandatis, & de satisfaciendo cautione præstita, absolui potest; alias & pœnitentes nulliter absoluuntur, & Pænitentiarij Excommunicationis Papalis vinculo, innodantur.

Porrò cùm etiam cognitio Casuum, Episcopo in foro Pœnitentiali reseruatorum, omnibus Confessarijs, tam Sæcularibus quàm Regularibus, non minùs sit necessaria. Ideò etiam eosdem prædictis Confessarijs proponendos, illosque hic inserendos duximus; monentes vnum-

vnumquemque eorum vt hosce Casus legat, & memoria teneat, ne pænitentes in periculum dispendij salutis æternæ, nulliter eos absoluendo conijciant; & seipsum præter censuras, quæ indebitè absoluentes aggrauant, in tremendo Iudicio Diuino, quòd de perditis animabus, rationem strictam exiget, improuidè culpabilem reddat.

Præter illos itaque Casus, qui tam de iure, quàm de consuetudine in hac Prouincia Episcopis reseruantur, Nobis, etiam horum specialiter Criminum absolutionem, in forò Pœnitentiali reseruamus, in quæ sæpius multos hisce temporibus, prolabi Diuinamque Maiestatem, grauiter offendere deprehendimus.

Sunt autem hi.

QVI Beneficiorum Ecclesiasticorum Fundationes, & priuilegia studiosè occultant & supprimunt; ne ea, quæ ad Ecclesiam pertinent restituant.

Qui ad Beneficia sui Iurispatronatus, ideò intra tempus præscriptum, non præsentant, vt prouentibus eorum Beneficiorum, liberiùs abuti possent.

Qui siue Patroni Ecclesiarum, siue quiuis alij laici subditos villarum Spiritualium, iuri Ecclesiastico subiectos, ad aliquos labores & seruitia, aut collectas, iniustè & violenter adigunt.

Qui legata ad pias causas supprimunt, vel pro se vsurpant.

Qui post mortē Clericorum, bona mobilia rapiunt, vel aliquo modò, insciò Officio Nostro, distrahunt.

Qui falsum testimonium scienter in iudicio, precio conducti deponunt.

Qui in Deum, vel Sanctos, deliberatè blasphemias proferunt.

Qui sterilitatem vel abortum, studiosè procurant.

Qui Virgines inuitas, rapiunt.

Qui incestum in primò vel secundò gradu cōmittūt.

Qui in adulterio, vel concubinatu publico, manent, & moniti resipiscere nolunt.

Qui parentibus violentas manus, cùm læsionè inferunt.

Qui publicas vsuras, studiosè exercent.

Qui Veneficijs & superstitionibus, cùm expresso vel tacitò Dæmonis pacto vacant.

De Regularibus.

Con. Tri-dent. Sess. 23. c. 15.

QVoniam ad Confessiones legitimè excipiendas, nullus Presbyter accedere potest, cui iurisdictionis potestate vti non est permissum, nonnulli autem de Regularibus reperiuntur, qui prætextu suorum Priuilegiorum, licentia ab Ordinarijs non obtenta, non tātùm pœnitentium Confessiones excipere, sed etiam eosdem à Casibus Nobis reseruatis, contra expressam Sacrorum Canonum inhibitionem, absoluere præsumunt, proindequè non tantùm animas Christi fideliū, in graue periculum inducunt, sed & ipsi pœnas in Clementina C. Religiosi de Priuilegijs & excessibus Priuilegiatorum, temerè incurrunt. Ideò ne eiusdem Constitutionis ijdem in Nostra Diœcesi commorātes, ignorantiam prætendant, eandem, hic insinuandam ipsis decreuimus. Cuius tenor talis.

Religiosi qui Clericis, aut laicis, Sacramentum Vnctionis Extremæ; vel Eucharistiæ ministrare; Matrimoni-

moniaue solennizare, non habita super his Parochialis Presbyteri licentia speciali; aut qui excommunicatos à Canone, præterquàm in Casibus à iure expressis: vel per Priuilegia Sedis Apostolicæ concessis eisdem, vel à sententijs per Statuta Prouincialia, aut Synodalia, promulgatis, seu (vt verbis eorum vtamur) à pœna & à culpa, absoluere quemquàm præsumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto; per Sedem Apostolicam duntaxat absoluendi: quos etiam locorum Ordinarij (postquam de hoc eis constiterit) excommunicatos faciant publicè nunciari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides, nullo Religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel aliò Priuilegio suffragante.

Quibus etiam in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione maledictionis æternæ, districtiùs, inhibemus: Ne in sermonibus suis Ecclesiarum Prælatis detrahant, aut etiam retrahant laicos, ab Ecclesiarum suarum frequentia, vel accessu, seu Indulgentias, pronuncient indiscretas. Neuè (cùm confectionibus Testamētorum interfuerint) à restitutionibus debitis, aut à legatis Matricibus Ecclesijs faciendis retrahant testatores: Nec legata, vel debita, aut malè ablata, incerta, sibi aut alijs singularibus sui Ordinis Fratribus, vel Cōuentibus, in aliorum præiudicium fieri seu erogari procurent: Nec etiam in Casibus Sedi Apostolicæ aut Locorum Ordinarijs reseruatis, quempiam absoluere: Aut personas Ecclesiasticas, præsertim coram Iudicibus, delegatis à Nobis, suam contra eos iustitiam prosequētes vexare indebitè, aut ad loca plura, & præsertim multùm remota, conuenire præsumant. Si qui verò

præmissa, vel aliquid de præmissis attentare præsumpserint; per duos Menses subiaceant pœnis illis, quæ secundum eorum Regulam vel statuta, pro grauibus criminibus seu culpis, eis consueuerunt imponi. Super quibus absque manifesta necessitate, cum eis non valeant dispensari.

Cæterùm prælati eorum, nisi de his, quæ occasione præmissorum excessuum, ad eos quoquo modò peruenerint, Ecclesijs aut personis Ecclesiasticis, damnificatis, vel læsis, satisfactionē plenariam exhibuerint, infra mensem, postquam super hoc fuerint requisiti, suspensionis sententiam vsqué ad satisfactionem debitam, eo ipso incurrant, non obstantibus præmissis statutis, aut quibuslibet Priuilegijs, cuiuscunque tenoris existant. Sanè Religiosis illis, quibus est ab Apostolica Sede cōcessum, vt familiaribus suis domesticis, aut pauperibus, in Hospitalibus suis degentibus, Sacramēta possint Ecclesiastica ministrare, nullū ex præmissis volumus quo ad hoc, præiudicium generari.

Hactenus Constituto Clementina.

Cùm verò ad eorundem Regularium informationē, necnon omnium fidelium salutem, bonumqué in Ecclesia ordinem conseruandum, binæ recentes Constitutiones, fælicis recordationis, Gregorij Papæ XV. vna, de Sacramentis ab eisdem Regularibus administrandis: altera verò, de conseruatoribus ab illis eligendis, non ita pridem emanarint, quæ nondum in Diœcesi nostra sunt publicatæ, ideò vt ad notitiam omnium in Nostra Diœcesi degentium perueniant, easdem Sacra Synodus publicandas, & hîc inserendas decreuit. Tenores autem prædictarum Bullarum hi sunt. Prioris quidem.

GREGORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum DEI. Ad

Ad perpetuã rei memoriam.

INscrutabili Dei prouidentia, vniuersalis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus præsidentes, Pastoralis Nostræ sollicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam præcipuè incumbere, vt à dignis, & probatis tantùm Sacerdotibus, Sanctè administrentur Ecclesiastica Sacramenta; atque vt virginum Deo Sacrarum Monasteria, diligẽtissimè custodiãtur, & viri assumãtur idonei ad prædicationis Officium salubriter exequendum. Sanè Tridentinæ Synodi Decretis prouidè cautum est, nullum Presbyterum etiam Regularem, posse Confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputare, nisi aut Parochiale Beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem quæ gratis detur obtineat. Nec non vt in Monasterijs seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura, personarum seculari-um præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia personæ, tam Regulares quàm seculares, eiusmodi curam exercentes, subsint immediatè in ijs, quæ ad dictam curam & Sacramentorum administrationem pertinẽt, iurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi, in cuius Diœcesi sunt sita. Itemq; vt Episcopi vniuersi, sub obtestatione Diuini Iudicij, & interminatione maledictiònis æternæ, in omnibus Monasterijs sibi subiectis Ordinariâ, in alijs verò Sedis Apostolicæ authoritate clausuram Sanctimonialium, vbi

vbi violata fuerit, diligenter restitui, & vbi inuiolatã est conseruari, maximè procurent; inobedientes atq; contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasq; pœnas, quacunque appellatione postposita compescentes. Atque vt Regulares in Ecclesijs suorum Ordinum prædicare volentes, se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, in Ecclesijs verò quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modò prædicare possint, sine Episcopi licentia, contradicente autem Episcopo, nulli, etiam in suorum Ordinum Ecclesijs, prædicare præsumant. Verùm quia experientia compertum est, Ecclesiastici regiminis rationes postulare, vt decretis eiusmodi aliquid adiungatur, matura deliberatione Nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hâc generali perpetuò valitura Constitutione decernimus, statuimus, & declaramus: vt deinceps tam Regulares, quàm Seculares, quomodolibet exempti, siue animarum curam, personarum Secularium Monasterijs, seu domibus, Regularibus; aut quibusuis alijs Ecclesijs, vel Beneficijs; siue Regularibus, siue Secularibus, incumbentem exerceant; siue alias, Ecclesiastica Sacramenta, aut vnùm ex illis ministrent, præuia Episcopi licentia, & approbatione; siuè quoquò modò in dictæ curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administrationẽ de facto absque vlla authoritate se ingerunt, in his, quæ eiusmodì curam seu administrationem concernunt, omnimodò iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subijciantur. Adhæc tàm Regulares, quàm Seculares huiusmodi,

di, nullis Priuilegijs aut exēptionibus, tueri se possint: quo minùs si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Monasteriorum Monialium etiam Regularibus subiectarum, ab Episcopo loci similiter, tāquam ad hoc Sedis Apostolicæ delegato quotíes & quando opus fuerit puniri & corrigi valeant. Confessores verò siue Regulares, siue Seculares, quomodocunque exempti tàm Ordinarij, quàm extraordinarij, ad Confessiones Monialium etiam Regularibus subiectarum audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Diœcesano idonei iudicentur, & approbationem quæ gratis concedatur. Sed & administrantes bona ad eiusmodi Monasteria Sanctimonialium, vt præfertur, etiam Regularibus subiectarum pertinentia siue Regulares extiterint, siue Seculares, quomodolibet exempti; Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus, Regularibus, singulis annis rationis, administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idqué iuris remedijs cogi & compelli queant. Liceatqué Episcopo ex rationabili causa Superiores, Regulares admonere, vt eiusmodi Confessores, atqué Administratores amoueant, ijsq; Superioribus, id facere detrectantibus aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos Confessores, & Administratores amouendi, quoties & quando opus esse iudicauerit. Ac similiter possit Episcopus, vna cum Superioribus, Regularibus, quarumcunqué Abbatissarū, Priorissarum, Præfectarum, vel Præpositarum eorundem Monasteriorum, quocunqué nomine apellentur, electionibus per se vel per alium interesse ac præsidere,

absqué

absque vlla tamen ipsorum Monasteriorum impensa. Ac demùm habeat Episcopus, tanquam dictæ Sedis delegatus, authoritatem coërcendi ac puniendi quoscunque exemptos, tàm Seculares, quàm Regulares, qui in alienis Ecclesijs, aut quæ suorum Ordinum non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesijs suis aut suorum Ordinum, non petita illius, benedictione aut ipsis contradicente, prædicare præsumpserint. Ita vt Episcopi in suprascriptis Casibus, & in prænominatas personas, in præmissis omnibus & singulis, aut circa ea quoquo modò delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra Visitationem, per censuras Ecclesiasticas aliasque pœnas, vti eiusdem Sedis delegati procedere, omnemque iurisdictionem exercere, liberè & licitè valeant. Decernentes sic per quoscunque Iudices quauis authoritate fungentes, etiam Sacri Palatij Auditores, necnon Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, vel interpretandi facultate & authoritate, iudicari & definiri debere; Irritum quoque & inane, si secus super his à quoquàm quauis authoritate sciēter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, in fauorem quarumcunque personarum, atque Regularium Mendicantium, quàm non Mendicantium. Militiarum etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Congregationū, Societatum, ac cuiusuis alterius instituti etiam necessariò, & in indiuiduo exprimendi, Monasteriorum, Conuentuum, Capitulorum Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque, tàm Secularium, quàm Regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmati-

mationẽ Apoſtolica; vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis vel conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoqué, Indultis, & Priuilegijs, etiam in corpore iuris clauſis, aut ex cauſa & titulo oneroſo, vel in limine Fundationis conceſſis, etiam Mari Magno ſeu Bulla Aurea, aut alias nuncupatis; Conſeruatorum deputationibus, eorumqué atq; alijs inhibitionibus, quibus Epiſcopi deferre minimè teneantur, & quibuſuis alijs, ſub quibuſcunqué tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſqué efficacioribus, & in ſolitis clauſulis, necnon irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis conceſſis, & iteratis vicibus approbatis & innouatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumqué totis tenoribus & formis, ſpecialis & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro expreſſis habentes, quibus, quo ad ea quæ eiſdem præſentibus, aduerſantur illis, alias in ſuo robore permanſuris, ſpecialiter & expreſſè derogamus; cæteriſqué cõtrarijs quibuſcunq;. Cæterùm quia difficile foret, præſentes literas ad ſingula quæqué loca deferri: vt eæ tamen omnibus innoteſcant, mandamus, illas ad valuas Lateranen: & Principis Apoſtolorum, de Vrbe Baſilicarum, atqué Cancellariæ Apoſtolicæ, & in aciè campi Flo-

pi Floræ publicari, & inibi affigi, & per aliquot temporis ſpacium dimitti, eiſq; detractis, earum exempla eo in loco relinqui. Ac volumus, vt earundem præſentium literarum tranſumptis etiam impreſſis, manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & Sigillo Pælati, ſeu perſonę, in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, in iudicio, & extra illud, vbi opus fuerit, eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis Originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat, hanc paginam Noſtrorum, Statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati & voluntatis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicæ M. DC. XXII. Nonis Februarij, Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

V. Dat.

S. de Vrſinis.

Regeſtrata in Secretaria Breuium.

Jn nomine Domini, Amen.

Anno, à Natiuitate Domini Noſtri IESV CHRISTI, M. DC. XXII. Indictione Sexta, die veró Octaua, Menſis Februarij.

POntificatus autem Sanct^mi^ in Chriſto Patris & D^ni^ Noſtri, D. Gregorij, Diuina Prouidentia Papæ XV. Anno Secũdo, retroſcriptæ literæ Apoſtolicæ affixæ & publicatæ fuerũt, ad Valuas Baſilicarũ S. Ioãnis Lateranens.

ſen: Principis Apoſtolorum, de Vrbe, ac Cācellariæ Apoſtolicæ, & in acie Campi Floræ, dimiſſis ibidem earundem literarum Originalibus appenſis; per aliquot temporis ſpacium, & exinde remotis, deinde dimiſſis, earundem literarum copijs affixis, vt moris eſt per Nos Coſmum Modium, & Alexandrum de Rochis Sanctiſſimi Domini Noſtri Papæ Curſores.

Octauius Spada Magiſter Curſorum.

P*oſterioris vero.* Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter D. GREGORIVS, Diuina Prouidentia Papa XV. ex certis rationabilibus cauſis, animū ſuū mouentibus, & de voto Venerabilium Fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, partim fælicis record. CLEMENTIS Papæ VIII. Prædeceſſoris ſui, veſtigijs inhærendo; reuocauit, ac nullas & inualidas decreuit, omnes & quaſcunque Iudicum Conſeruatorum, Electiones, Nominationes, ſeu Deputationes, tam in vim literarum conſeruatoriarum, iuxta formam, in quinterno Cancellariæ deſcriptam, quàm in vim, quorumcunque Priuilegiorum, perpetuò, vel ad tempus nondum elapſum, Apoſtolica authoritate conceſſorum, ſeu alias quocunque iure, vel titulo hactenus factas, pro quibuſcunque Conuentibus, Capitulis, Militijs, etiam Sancti Ioannis Hieroſolymitani, Congregationibus, Collegijs, Ordinibus, Monaſterijs, Hoſpitalibus, aut alijs quibuſuis pijs, tam Secularibus, quàm cuiuſuis Ordinis, etiam Mendicantium, ſeu Inſtituti, vel Societatis, Regularibus locis quantumuis exemptis, etiam de neceſſitate exprimendis, ſeu illorum perſonis, cuiuſuis qualitatis ſeu conditionis exi-

ſtant. In futurum verò Sanctitas ſua, hâc Generali & perpetuò valiturà conſtitutione, ſtatuit & decreuit; vt Iudices, Conſeruatores huiuſmodi, ſiue perſonales, ſiue ſubrogati, eligi, nominari, aut deputari non poſſint, niſi non ſolùm habeant qualitates requiſitas, & deſcriptas in Conſtitutione ſimilis recordat. Bonifacii Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris ſui, quæ incipit *Statutum*; vel dignitate Eccleſiaſtica præditi, vel perſonatum obtinentes, vel Eccleſiarum Cathedralium Canonici exiſtant; ſed etiam in Concilijs Prouincialibus, aut Diœceſanis, iuxta Decretum Concilij prædicti, Iudices Electi, ſeu deſignati ſint. Quodqué deinceps literæ Conſeruatoriæ, per Sedem Apoſtolicam concedēdæ, ſupraſcriptis tantùm dirigantur: & ſi quæ literæ aliter expedientur, illæ, ac deputationes huiuſmodi, omniaq; exinde ſequenda, nullius ſint roboris, vel momenti. Et nihilominus qui ſecus, quàm iuxta formam ſuperiùs præſcriptam, Conſeruatores huiuſmodi cum effectu eligere nominare ſeu deputare; aut electis, nominatis ſeu deputatis, vti auſi fuerint, Regulares quidem voce actiua & paſſiua, ſint ipſo iure priuati; adeò vt habilitationem à nemine, præterquam à Romano Pontifice, conſequi valeant; Reliqui verò alijs pœnis arbitrio Sanctitatis ſuæ còërceantur, & prædictorum omnium, Conuentus, Monaſteria, ac loca huiuſmodi eorumqué perſonæ, ac bona, careant conſeruatore ad annum: ita vt illorum cauſæ interea, coram Locorum Ordinarijs duntaxat cognoſci, ac definiri debeant. Cæterùm vt latiùs pateat, Cōſeruatorum huiuſmodi deligendorum facultas, Sanctitas ſua, admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, vt in Synodis Prouincialibus

libus, aut Diœcesanis, quàm plures personas ex habẽtibus qualitates in prædicta Constitutione, eiusdem, Bonifacii Prædecessoris contentas, & alioquin ad id aptas, designare procurent; & si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci, cũ consilio Capituli, alium in eius locum, vsqué ad futuram Prouincialem, aut Diœcesanam Synodum. Insuper Sanctitas sua, inhærendo hac in parte Decreto similis record. Gregorii Papæ XIII. etiam Prædecessoris sui statuit, & ordinauit; vt Regulares ac personæ huiusmodi in Italia infra duos, extra Italiam verò, infra, Sex Menses, à die publicationis, in Vrbe præsentis Cõstitutionis inchoandos, debeant sibi eligere seu assumere conseruatores, iuxta formam superius propositã, eiusqué Electionis, seu assumptionis documentum infra tempus huiusmodi, penes Acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur: alioquin eo termino elapso, quamdiu conseruatores secundum formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram, eisdem Ordinarijs, conueniantur: quodqué Conseruatores huiusmodi semel legitimæ deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut locorum Ordinarijs, prout ijsdem Regularibus, & alijs supradictis libuerit approbanda, durante quinquennio, à die deputationis, amoueri aut mutari nullatenus possint aut valeãt. Adhæc statuit Sanctitas sua, vt coram ipsis Conseruatoribus, Regulares, ac personæ suprascriptæ, conueniri quidem aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint; Ita vt memorati conseruatores, in, causis in quibus Regulares, & alij Actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in ijs tantùm,

in quibus rei extiterint: neque extra Ciuitatis seu Diœcesis, in quibus fuerint deputati, contra quoscunq; procedere præsumant. Si qua verò inter Iudices Conseruatores, huiusmodi & locorum Ordinarios, controuersia super competentia iurisdictionis, orta fuerit; nequaquam in causa procedatur, donec per Arbitros in forma Iuris electos, super Iurisdictionis competentia, fuerit iudicatum. Quòd si qui conseruatores, siue in hac parte, siue alias, quomodolibet suos limites excesserint, per annum ab Officio conseruatoris, huiusmodi, suspensi sint, & pars quæ hoc fieri procurauerit, sententiam Excommunicationis incurrat, iuxta formam alterius Constitucionis, eiusdem BONIFACII Prædecessoris, quæ incipit: *Hac Constitutione*: quam Sanctitas sua, in his omnibus quæ præsenti Constitutioni non aduersantur, innouauit & innouat. Per hoc tamẽ, non intendit Sanctitas sua prohibere, quominùs Regulares, & alij supradicti, in Casibus à iure permissis, petant Iudicem non suspectum à Principibus, seu Magistratibus Secularibus, dum tamen hæc tria copulatiuè concurrant: Videlicet vt Regulares, & alij prædicti sint Actores, non autem Rei; vtque agant contra Ecclesiasticum, vel alias à iurisdictione Seculari exemptum; atque vt causa, in qua Iudex deputatur, fuerit prophana, non autem Ecclesiastica; & in ea iuxta Sacrorum Canonum dispositionem laicus vt præfertur, eligendus Iudex, competens existant. Quæ omnia & singula in præsenti Constitutione contenta, Sanctitas sua voluit inuiolabiliter obseruari, decernens: sic in ijs cæterisque omnibus præmissis, per quoscunq; &c. etiam Sacri Palatij Apostolicæ Auditores, necnon Sacræ

Romanæ

Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ſublata &c. iudicandi &c. necnon irritum & inane &c. Non obſtantibus Cõſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac literis Conſeruatorijs, quas omnes ad formam præſentis Cõſtitutionis reduxit, in fauorem quorumcunqué Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioannis Hieroſolimytani Congregationum, Societatum, aut cuiuſuis alterius Inſtituti, etiam neceſſariò exprimendi, Collegiorum, Capitulorum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, ac piorum quorumcunqué, tam Secularium quàm Regularium locorum; necnon illorum etiam, iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate, alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, Priuilegijs quoqué, etiam ex cauſa & titulo oneroſo indultis, & literis Apoſtolicis, etiam Mari Magno ſeu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, ſub quibuſcunqué tenoribus & formis; ac cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſqué efficatioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus etiam motu propriò, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, ſeu extenſionis, conceſſis, & iteratis vicibus approbatis & innouatis, etiamſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis eorumqué tenoribus & formis, ſpecialis & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ſeruanda eſſet; tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nullo penitùs omiſſo & forma in illis tradita, obſeruata, inſerti forent, præſẽtibus

tibus pro expressis habens: quibus quò ad ea quæ præsentibus aduersantur, illis, aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter & expressè derogauit. Cæterisqué contrarijs quibuscunqué.. Cæterùm vt præsens Constitutio, faciliùs omnibus innotescat, Sanctitas sua voluit, & mandauit, vt non solùm in Cancellaria Apostolica, sed etiam ad Valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ publicetur; illiusqué exempla, in ijsdem locis affixa dimittantur, ac in Quinterno Cancellariæ inter Cōstitutiones perpetuas, describatur & annotetur.

Placet, publicetur, & describatur. A. Lecta & publicata fuit, supradicta Cōstitutio, in Cancellaria Apostolica, ab altero ex R. P. D. Maioris Præsidentiæ Abbreuiatoribus, die Vigesima Mensis Septembris. Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Sexcentesimo Vigesimo primo. Pontificatus verò, prælibati SS. D. Nostri D. Gregorij Papæ XV. Anno primo. Et postmodum die & anno supradictis, in Quinterno eiusdem Cancellariæ, inter alias Constitutiones Apostolicas descripta, & annotata fuit. Nicolaus Vrsinus Procustos.

Jn Dei nomine Amen. Anno á Natiuitate Dñi Nostri JESV Christi, M. DC. XXI. Jndictione quarta, Die verò Vigesima Septembris.

Pontificatus SS. in Christo Patris & Domini Nostri, D. Gregorii Diuina Prouidentia Papæ XV. Pontificatus Sui, Anno primo, retroscripta Constitutio Apostolica, affixa & publicata fuit, in Valuis Basilicæ, Principis Apostolorū de Vrbe, & in acie Campi Floræ per me Augustinum Bracherium Apostolicum Cursorum.

Octauius Spada Magister Cursorum. De

De dotibus, & prouentibus Ecclesiasticis, perperam vsurpatis, vel neglectis, repetendis.

BEneficiatorum quorundam supina negligentia, ac nonnullarum personarum Secularium cæca cupiditate factum est, quod dotes multarum Ecclesiarum, & iura ac Priuilegia suppressa existunt, nec ea quæ debentur Ecclesijs earumqué Ministris, vsurpatores restituere curant, immò repetita quasi malitia, licere sibi eandem vsurpationem & suppressionem, nonnulli etiã existimant. Ne igitur errore, tam damnabili, deinceps detineantur, & vt aliquando resipiscant, eaqué omnia quæ olim Deo omnium bonorum datori, & Ecclesiæ ipsius Sacrosanctè dicata fuerunt, contra seuerissimum Concilij Tridentini edictum, vsurpata & detenta plenè restituant; Statuimus vt hoc idem Edictũ, quòd Sess. 22. c. 11. habetur, quater in anno, Dominicis immediatè, Quatuor anni tempora sequentibus; necnon quoties populus, causa Indulgentiarum, Dedicationum, Conuentuum Particularium, Electionum, Iudiciorum, & aliorum actuum publicorum, frequentior ad Ecclesias conuenire solet, pro admonendis istiusmodi detentoribus seu occupatoribus, post concionem publicè ex ambona, in vernaculam linguam fideliter translatum, prælegatur. Porrò Parochi & alij Beneficiati omnes & singuli, tam Seculares, quàm Regulares, à Sacra Synodo seriò monentur, ne vllos contractus in præiudicium Ecclesiæ, vel Successorum suorum,

cum Patronis, & alijs personis, ratione prouentuum ad Beneficia sua pertinentium, in consulto Ordinario ineant, neuè ab ijs recuperandis aliquibus promissionibus, vel minis deterreantur, immò memores sui iuramenti, circa Institutionem de alienatis recuperandis præstiti, de suarum Ecclesiarum & Beneficiorum obuentionibus quàm primùm iure agere non negligant. Ad quem Nos quoque effectum, aduocatum Iuris nostri peritum, qui Pauperum Parochorum & Sacerdotũ causas in Iudicijs Tribunalicijs, quando illuc per apellationem deuoluentur, promouebit, iuxta Statuti Prouincialis dispositionem prouidebimus. Negligentes verò in prouentibus suis recuperandis, pro arbitrio Nostro puniemus.

Quemadmodum & eos, qui ædificia Ecclesiarum, & ædium Parochialium ita negligunt, vt in dies maiorem ruinam minentur. Quorum restaurationi, vt Decani Rurales diligenter attendant, & negligentes Nobis vel Officio Nostro deferant, seriò iniungimus.

Sed nec illud cum minori Ecclesiarum Parochialium damno fieri videmus, quando Curati pecuniam ex Eleemosyna pro fabrica, vino, cera, & alijs necessitatibus Ecclesiæ collectam, vel in suos priuatos vsus, Sacrilegè conuertunt, vel etiam amicitiæ captandæ causa Parochianis suis, eandem mutuò concedunt, quam deinde ab illis difficiliter vel nũquam exigere possunt. Quamobrẽ authoritate præsentis Synodi præcipimus, vt deinceps eiusmodi pecuniæ rationes, tam per Parochos, quam per Æedituos, seu Victricos, (quos in singulis Parochialibus Ecclesijs binos, Sacramentali iuramento obstrictos, quamprimùm à Decanis Ruralibus

institui

inſtitui, omnino volumus) conſcribantur, & ſub duabus Clauibus, quarum alteram Parochi, alteram Victrici penes ſe retineant, conſeruetur, nequé vllis perſonis, & Patronis Eccleſiarum mutuò ſine expreſſa licentia Officij Noſtri, ſub pœna dupli concedatur; quæ verò iam eſt conceſſa omnino infra Sex Menſes, per eos, qui eam mutuò dederunt, ſub refuſione de proprio ære exigatur; attendentibus ad id Decanis, Nobiſqué vel Officio Noſtro negligentes poſt terminum elapſum deferentibus.

De Eccleſiarum omninó deſolatarum, & Rectoribus carentium reſtauratione & prouiſione.

CVperet ſanè ex animo, Sacratus præſens totius Cleri cætus, vt deſolatæ Eccleſiæ Parochiales, & ob tenuem ac exiguam prouiſionem Rectoribus deſtitutæ, in priſtinum ſtatum quantocius reducantur, & inopia laborantes, amplioribus reditibus non minùs cultus Diuini promouendi, quàm etiam muneris Paſtoralis eò commodiùs explendi gratia augeantur. Sed cùm hæc ob recentis belli Pruſſici, & peſtilentiæ graſſantis in commoda, ac grauem bonorum per milites vaſtitatem præſtari poſſe, nulla humana ratione, hoc præſertím rerum ſtatu, exiſtimentur, proptcrea Deum Optimum Maximum, omnium bonorum datorum, ſupplex ardentibus votis precatur, vt donum pietatis, & zelũ promouendi cultus Diuini in cordibus Patronorum, & Parochianorum eiuſmodi Eccleſiarum inſtillet, quate-

nus gratitudinem erga suum Creatorem & Redemptorem, in reædificandis & augendis Ecclesijs, tandem aliquando munificè exercere, maiorum suorum exemplo non negligant; si iustissimam Diuinæ Maiestatis indignationem, quam olim Aggęus Propheta illis verbis comminatus est: Dicit Dominus Exercituum, quia Domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisqué ad domum suam, propter hoc super vos prohibiti sunt cæli ne darent rorem, & terra prohibita est ne daret germen suum; euadere volunt: Quod illis Prædicatores verbi Dei seriò in Concionibus inculcare non omittant. Vbi autem ædificia Ecclesiarum desolatarum, ita iam sunt collapsa, vt nulla, vel difficilis ratio earum restaurandorum iniri possit; iniungimus Decanis Ruralibus, vt iuxta præscriptum Concilij Triden: Sacris Reliquijs, & Altaribus, necnon Supellectili Ecclesiastica, inde ad Ecclesias, quibus authoritate huius Synodi vniendæ erunt translatis, tigna ipsarum, trabes, & reliquam Sacri ædificij materiam, in loco aliquo tuto & decenti collocare curent, nec eam ad vsus profanos inscio Officio Nostro conuertere permittant. Interim autem pro Nostro Pastorali munere prouidere volentes, ne Parochiani Eclesiarum sic desolatarum, sine vllo Pastore omnino maneant, neué illorum prouentus penitùs intercidant, eas vigore Bullæ Prouincialis, à Leone Decimo concessæ, necnon Concilij Tridentini, alijs vicinioribus Ecclesijs meliùs prouisis, quo ad à Patronis restauratæ, & pristino statui restitutæ fuerint, quamprimùm vniendas, & incorporandas specialibus literis Nostris duximus. Alias verò Ecclesias, ad præsens, Rectoribus siue ob inopiam prouisionis

Aggæi c. 1.

Sess. 21. c. 7. de Reffor.

In Const. Prouin. lib. 4. De Priu. & exc. Priuil.

onis, siuè ob negligentiam Patronorum, siuè etiam ob iniquitatem temporum destitutas, vicinioribus itidem Parochis vltra iuris præscriptum, ex speciali Sedis Apostolicæ Indulto ad biennium, nisi interim à Patronis (de quo à præsenti Synodo seriò monentur) de legitimis Rectoribus ijsdem prouisum fuerit, commendandas, & literas earum Commendarum, ex Cancellaria Nostra, primò tempore extradendas esse constituimus, & vt in Ecclesijs sic commendatis, vbi prouentus suppetunt, Vicarij foueantur, ijsdem Parochis, iniungimus: vbi autem ob egestatem id fieri nulla ratione potest, vigore eiusdem Bullæ Leoninæ, in Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, Ascensionis Domini, ac præterea Purificationis, & Assumptionis B. M. V, necnon, Natiuitatis Ioannis Baptistæ, & Natalis Beatorum, Petri & Pauli Apostolorum festiuitatibus, & celebritate Omnium Sanctorum, & Commemoratione omnium Defunctorum, in duabus Ecclesiis, Missarum Solennia celebrare & Eucharistiam conficere (dummodo nonnisi in vltima Missa Purificationē accipiāt) posse declaramus. Ita tamen ne cura animarum in illis, quas nunc obtinēt Ecclesijs, eam ob causam negligatur. In Ecclesijs autem Reuerendissimorum DD. Abbatum, alijsq; Regularibus, Parochis, ad præsens destitutis, per Religiosos Monasteriorum, Ecclesiastica Sacramenta licitè poterunt administrari, quo ad illis per eosdem Collatores de Secularibus Rectoribus, non fuerit prouisum.

Sess. 21. c. 5. de Reff.

De Ecclesijs à Diœcesi Płocensi, ad Diœcesim Vladislauiensem, nouiter adiunctis, & de auctione Decanorum Ruralium eorumq; Officio.

QVandoquidem maiorem bonorum Nostrorum partem, extra Diœcesim, in qua de iure residere obligamur, sitam habemus, ideò tres Ecclesias Parochiales, in bonis Nostris Ciechocinensibus. Videlicet Ciechocinensem, Nouogrodiensem, & Dobrzeiouiensem, vnà cum Złotoriensi illis adiacente, in finibus Diœcesis Nostræ existentes, & ad Diœcesim Płocẽsem antiquitus pertinentes, Nostræ Diœcesi, ab Jll^mo^ D^no^ moderno Episcopo Płocensi, & Capitulo ipsius, adiũgendas & incorporandas procurauimus, easq́ué nunc authoritate præsentis Synodi, ad alias Ecclesias trans Vistulam in terra Dobrzinen. existentes, adiungimus: Ibidemq; maioris Cleri commoditatis causa, nouum Decanatum Bobrownicensem, ijs Ecclesijs, quæ cis Vistulam sunt sitæ, penes Decanatum Nieszauiensem relictis, erigimus; eiusdemque Decanum Ruralem Parochum modernum Bobrownicensem Reuerẽdum Martinum Brachlinium, cùm potestate & prærogatiuis, aliorum Decanorum constituimus.

Decanũ autẽ Koscierzynẽsem, Reuer^dum^ Albertũ Nickowski, modernũ ordinamus. Et vt tã hi nouiter instituti, quàm alij, qui in prçcedẽti Synodo Lypsciana iuramẽtũ super fidei officij sui administatione, nõ præstiterunt,

ſunt, illud durante Synodo præſtent iniungimus. Omnibus autem Decanis Ruralibus, priùs tamen à Nobis, vel ab Officio Noſtro approbatis, facultatem abſoluendi, à Caſibus Sedi Noſtræ Ordinariæ reſeruatis, etiam cum facultate delegandi, quo ad ſingularem caſum, propter maiorem pœnitentium commoditatem, benignè concedemus. Qui quidem Decani in ſingulis ſuis Congregationibus, (quas bis in anno, iuxta antiquas Ordinationes, in loco, qui commodior viſus fuerit, omninò celebrari volumus) Miſſæ Sacrificio, pro Defunctis Fratribus præmiſſo, diligenter in mores Cleri ſibi ſubiecti inquirent, literas Ordinum, & approbationum reuidebunt; Dubia circa Caſus Conſcientiæ occurrentia proponent ac decident: quæ autem fuerint perplexa, ad Nos, vel Officium Noſtrum deferēt, & alia omnia, quæ tam in Epiſtola Paſtorali, quàm in alijs Synodis Prouincialibus ac Diœceſanis, & in hac Noſtra ſparſim ſunt eis iniuncta, ſedulò exequentur; præterea ad munus Syndicorum ſeu teſtium Synodalium iuramento aſtricti, illud fideliter obibunt.

De Hoſpitali pro pauperibus Senibus & infirmis Clericis erigendo.

QVandoquidem Jllmi olim Domini Pauli Wołucki Anteceſſoris Noſtri, piùm deſiderium: necnon totius Cleri Diœceſis huius Vladiſlauienſis, fraternæ charitatis affectus, erga Senio confectos, infirmos, & pauperes Sacerdotes ac Clericos hactenus, non ſunt ſuum ſortita effectum, vt ædes pro Hoſpitali eiuſmodi e-

di emerentur, in eisque dictis Clericis necessaria, ex contributionibus, in Synodo Diœcesana vnanimiter concessis prouiderentur; Idcircò eandem Constitutionem reassumimus, & vt ad exequutionem id quod semel placuit, infra biennium, à publicatione præsentis Nostri Decreti computandum, omninò deducatur, huius Synodi authoritate decernimus. Quamobrem Decani Rurales Exactores destinati, infra decursum vnius anni, ab eadem publicatione computandi, contributionem laudatam, videlicet à Parochis per grossos decem, à Vicarijs autẽ per grossos quinq; , alias iuxta eiusdem Volucianæ contenta, exigent, & Summam collectæ pecuniæ, ad manus Reuerendi D. Procuratoris pro tempore existentis, quem Prouisorẽ huius Hospitalis constituimus, consignabunt. Quòd si in eo passu aliquis ex illis negligens repertus fuerit, & infra tẽpus præscriptum, ea exequi contempserit, pœnis arbitrio Nostro infligendis subiacebit. In quem Nos quoque vsum legumina certa, & olera, iuxta ordinationem à Nobis faciendam, ex Claui Nostra Vladislauiẽsi, quotannis extradi mandabimus: Ac præterea bona, post Clericos intestatos, in eundem vsum deinceps conuertenda esse, authoritate huius Synodi ordinamus. Cui quoq; pro instituto, præmissa in proximè futuro Generali Capitulo tractatione, Reuerendi DD. Prælati & Canonici, se non defuturos, promiserunt.

De Erectione Noui Seminarij in Szodlant.

ETsi idem Jll^mus Dominus Paulus Wołucki, Episcopus

pus Vladislauiensis, Sanctum ac pium Antecessorum suorum, à Sacrosancta Tridentina Synodo commendatum, institutum, & iam inchoatum negocium Seminarij fundandi, in hac Diœcesi penes ipsam Ecclesiam Cathedralem, proprijs impensis, ad optatum effectum sollicitè ac feliciter deduxerit, ita vt ex eodem Seminario non mediocrem eadem Diœcesis vtilitatem percipiat. Cùm tamen ita ampla sit, vt etiam Prouinciam Pomeraniæ, ad Regnum pertinentem complectatur, in quâ non solùm Polonicæ, sed etiam Germanicæ nationis populus, vsum diuersæ linguæ habens, comprehendatur; nec ita facilè adolescentes reperiantur, qui ex Germanis ad idem Seminarium Vladislauiensе admitti, & in eodem institui curent; vnde etiam illa pars Diœcesis magna ex parte Hæresibus infecta, rarum aut nullum penitus fructum, aut subsidium, ex prædicto reportet Seminario. Ideò Nos communicato, cum Admodum Reuerendis Dn̄is Ecclesiæ Nostræ Cathedralis Vladislauiensis Prælatis & Canonicis, necnon cum Reuerendissimis DD. Abbatibus Fratribus Nostris Charissimis, consilio, duximus hoc idem Seminarium Vladislauiense ita esse diuidendum, vt pars iuuẽtutis nationis Polonicæ, sumptibus consuetis, vnâ cũ pensione Monasterij Strzelnensis, in Synodo Volucianа decreta, & in præsenti reassumpta, in eodem Seminario (Peplinensis, & Oliuensis, Monasteriorum duntaxat pensionibus exceptis) penes Ecclesiam perpetuis temporibus more iam cœpto instituatur. Alia verò pars nationis Germanicæ, siuè etiam Polonicæ, quæ non esset omninò ignara eiusdem linguæ Germanicæ, in Vico Nostro Szodlant nuncupato, ad Ciui-

tatem Gedanensem sito, à Patribus Societatis Jesv, ibidem ab Antecessoribus Nostris, iam ante vtiliter fundatis, in pietate, bonis moribus, & literis informetur, & vt de Ecclesia Dei mereri sciat & possit, edoceatur.

Pro quorum Alumnorum commoda habitatione, iam ibi per eundem Jllmũ Olim Paulum Wołucki, ædes sunt comparatæ, quę si aliqua reparatione indiguerint, eam nos faciendam procurabimus, & hortum aliquem pro ipsorum maiori commoditate, occasione oblata adiungemus.

Porrò pro alendis dictis Clericis, & eorum necessitatibus prouidendis pensiones à prædictis Reuerendissimis Dñis Abbatibus Oliuensi, & Peplinensi, quæ hactenus Seminario Vladislauiensi ab ipsis soluebantur, vnâ cum pensione florenorum Quinquaginta Monasterio Carthusianorum, in Synodo Vołuciana imposita, eidem in Szodlant Seminario, authoritate huius Synodi incorporantur, & eidem perpetuò persoluendæ decernuntur. Ac propterea ad eundem vsum pensiones, quoque ex Zukouiensi, & Zarnouecensi Monasterijs, postquam pristinæ integritati restituta fuerint, iuxta Ordinationem & Decretum Concilij Tridentini persoluendæ, conuerti debebunt. Pro maiori autem eiusdem Seminarij sic diuisi & erecti subsidio, ijdem Reuerendissimi DD. Abbates, Peplinensis & Oliuensis, certa frumenta, legumina, & lacticinia ad victum pertinẽtia spontè & beneuolè perpetuis temporibus, mediam quidem partem pro Festo Paschatis, Alteram verò mediam partem, pro Festo S. Michaëlis Archangeli, se quotannis extradituros, separata diplomate obligare promiserunt; Hac tamen conditione adiecta, vt pro

Eccle-

Ecclesijs quoqué Parochialibus, quas in suis bonis Abbatialibus habent fundatas, ex eodem Seminario ad curam animarum gerendam, Presbyteros temporibus, oportunis assumere valeant. Ad quam nos etiam Fundationem augendam id quod defuerit, tum ex proprijs impensis, tum etiam ex bonis Mensæ Episcopalis, inspectis penitius ipsius Seminarij rationibus, Deo dãte prouidebimus, & supplebimus.

Ordinem verò studiorum, victus rationem, & alia omnia ad dicti Seminarij statum debitè conseruãdum, inito consilio cum Admodum Reuerendis Dominis Prælatis, & Canonicis, Ecclesiæ Nostræ Cathedralis Vladislauiensis, speciali Nostro Priuilegio describemus. Interim tamen quousqué huius Noui Seminarij Fundatio ad effectum deducta non fuerit, prænominati Reuerendissimi Dñi Abbates solitas pensiones ad Seminariũ Vladislauiense pertinentes quotannis soluere tenebuntur.

De Pijs Legatis.

SÆuiente non ita pridem in hac Diœcesi Nostra lue pestifera, multi ad pænitentiam Diuina Clementia inducti causa mortis, vel tota sua Bona, vel illorum partem, in satisfactionem peccatorum suorum, ad pia opera destinarunt. Porrò eorum legatorum magna quidem pars, iuxta mentem piorum testatorum, suum est sortita effectum, verùm maior fine & executione sua est destituta, non solùm propter quarundam personarum Secularium, sed etiam, quod grauius est, Spiri-

tualium iniuſtam eorum detentionem, quarum vel fideli diſpoſitioni commiſſa, vel per modum depoſiti concredita eſſe dignoſcuntur. Monitos igitur volumus, prout ſer ò authoritate præſentis Synodi omnes & ſingulas tam Eccleſiaſticas quam Seculares perſonas monemus & requirimus, vt hæc omnia pia legata, infra decurſum ſex Menſium, a publicatione præſentis Noſtri Decreti computandorum, vel ad eorum manus quorum fideli diſpoſitioni ſunt commiſſa conferant, vel ipſi quibus hoc incumbit munus infra præfixum tẽpus iuxta mẽtem Teſtatorum, quàm fideliſſimè diſponant, ſub pæna Excommunicationis, quam contra negligentes, vel Noſtra monita contemnentes lapſis dictis ſex Menſibus à publicatione præſentis Synodi, iam exnunc prout extunc decernimus, & per Decanos Rurales promulgandam fore ordinamus.

De vita & honeſtate Cleri.

Seſſ. 22. c. 1. de Ref. lib. 3. tit. de vita & honeſtate Clericor. Paſt. Epiſt. tit. de Vita & honeſtat. Cleri.

PLurima in Sacris Oecumenicis Conciliis, & nouiſſimè in Sacra Tridentina Synodo, tum etiam Prouincialibus, atq; Dioeceſanis Synodis ſancita ſunt, per quæ ſufficienter honeſtas vitæ, Clero proponitur & præcipitur obſeruanda. Quamobrem ea omnia & ſingula ſalubriter conſtituta, in præſenti quoq; Synodo reaſumimus, & innouamus, diſtrictè præcipientes, vt ſecundum ea Clerus iuriſdictioni Noſtræ ſubiectus, vitam & mores ſuos componat. Alioquin ſi quiſpiam refractarius extiterit, Nos contra eiuſmodi, ſalutis ſuæ prodigum, ſeruata forma & modo à Sacra Tridentina

Syno-

Synodo præscripta sine strepitu & forma iudicij & sola veritate facti inspecta, præsertim verò contra vitiò carnis, obnoxios (contra quos quemadmodum in visitatione, primam, ita nunc secundam monitionē, præmittimus) procedemus, & pœnis condignis, in eos animaduertemus. *Sess. 25. c. 14.*

De Deputatis pro futura Synodo Prouinciali futuris Comitijs necessarió præmittenda.

INter alias Synodi præsentis indicti causas, non est ea postrema, quod ex lege publica, in proximè venturis Comitijs ea tractari debent, quæcunque inter statum Spiritualem, & secularem controuersa reperiuntur. Ad quod negotium, vt potè grauissimum, ex re & vtilitate, vniuersi Ordinis Nostri peragendum cum non dubitemus, quin Illustrissimus Dominus Archiepiscop⁹, Gnesnensis, pro sua Pastorali vigilantia Synodum Prouincialem sit necessariò indicturus, ideò Nos etiam, ne officio Nostro hac in parte deesse videamur, ad hoc publicum consilium, eiusmodi ex medio Cleri Nostri deputandos censuimus, qui hanc Prouinciam pro dignitate Dioecesis huius, & pro rei exigentia obire possent, quēadmodum deputamus, ex Cathedrali quidem Ecclesia Admod: Reuēn: os Dominos Chrystophorum Charbicki Præpositum, & Iacobum Piasecki Archidiaconum Vladislauiensem ex Collegiata verò Crusuicensi, & ex minori Clero Reuerendos Dominos Ioannem Polanski Archidiaconum Crusuicensem, & Bartholomæum

Bleski Canonicum Crusuicensem Præpositum Brestensem, eosdemq; monemus, quatenus pro loco & tempore assignando, iuribus Priuilegijs & alijs literatorijs ex Archiuo Ecclesiæ Nostræ monimentis sufficienter instructi, se sistere non negligant.

De Iudicibus Commissionum Apostolicarum.

DEcreto Sacrosancti Concilij Tridentini inhærentes ad Commissiones à sede Apostolica emanatas cognoscendas authoritate præsentis Synodi deputamus, Admodum Reuerendos Dominos Chrystophorum Charbicki Præpositum, Sebastianum Grotkowski J. V. D. Officialem Nostrum, Generalem Stanislaum Pomorski S. T D. Anselmum Raciborski J. V. D. Canonicos, Ecclesiæ Cathedralis Vladislauiensis.

De Examinatoribus, ad Sacros Ordines promouendorum: & ad curata Beneficia instituendorum.

AD examen verò eorum, qui in sortem Domini adscribi, & ad Ordines Sacros promoueri, vel iam promoti ad Curata aliqua Beneficia institui voluerint, tam intra Diœcesim Nostram, quàm etiam extra, vbi Nos frequenter residentiam habere contingit, Admodum Reuerendos Dominos, Iacobum Piasecki Archidiaconum Vladislauiensem, Martinum Bielanowski

Pome-

Pomeraniæ Archidiaconum, Sebaſtianum Grotkowski Officialem Noſtrum Generalem, Andream Mieroslawski, Anſelmum Raciborski, Canonicos Vladiſlauienſes, Ioannem Połanski Cruſuicenſem Archidiaconum, Adamum Golynski Officialem Gedanenſem, Iacobum Kalynski Pænitentiarium Eccleſiæ Cathedralis Vladiſlauienſis, authoritate eiuſdem Synodi nominamus, & aſſignamus, ab ijsq; circa hoc negocium ritè peragendum Concilij Tridentini & Epiſtolę Paſtoralis præſcriptum omninò obſeruari volumus. *Seſs. 27. ſor. tota de Refor. & Seſ. 24 c. 18.*

De publicatione Decreti Sacræ Rituum Congregationis circa Beatificationem Sanctorum.

QVoniam ante duos circiter annos, Decretum Sacræ Rituum Congregationis, de Beatificatione mortuorum, miraculisq; de ſanctitate alicuius defuncti, legitimè colligendis, ad manus Noſtras ab Vrbe eſt directum, ideò illud ad notitiam eorum, quorum intereſt in Diœceſi Noſtra deducimus & publicamus. Tenor autem huius Decreti eſt talis. Cum in tota Eccleſiæ gubernatione nihil maius, nihil ſit auguſtius Beatificatione & Canonizatione Sanctorum, vtpotè homines, iam demortuos, etiam cum fama Sanctitatis, & miraculorum, declarare pro Sanctis, eoſq; vti tales colendos, & venerandos, decernere. Sacra Rituum Congregatio, vt res hæc planè ampliſſima atq; grauiſſima, ritè ſanctèqs conficiatur, prohibet omnibus & ſingulis perſonis Eccleſiaſticis, tam Secularibus quam Regularibus, etiam

Sancti

Sancti Ioannis Hierosolimitani, Societatis Iesu, vel aliorum quantumuis, speciali nota dignorum, ne audeant ipsi per se, aut per alios capere informationes, super Sanctitate aut miraculis alicuius defuncti, neq; vllo modo exquirere, atq; obtinere ad hunc effectum, extraiudiciales testificationes, aut subscriptiones, sub pœnis arbitrio Sacræ Congregationis infligendis. Quòd si superiori, Sacristæ, seu alteri Officiali illius Ecclesiæ, in qua requiescit corpus ipsiusmet defuncti, vel alterius etiam Ecclesiæ, fuerint reuelata aliqua miracula, siue Prophetiæ dona, possint ea recipere sub Sigillo secreti, ab ipsis tantùm relatoribus, in quorum gratiam contigisse narrabitur; teneantur tamen quamprimùm commodè eadem deferre, vel obsignata transmittere Episcopo loci, cùm expressa declaratione: quòd reuelationes sic vt supra receptæ, non faciant aliquem probationis gradum, etiam cuiusuis longissimi temporis cursu. Quod Decretum, cùm fuerit ad notitiam S. D. N. Vrbani Papæ VIII deductum, Sanctitas sua illud approbauit, & imprimi, & vbiq; publicari mandauit. Die 12 Martij 1631.

De publicatione Synodi Prouincialis proximè celebratæ.

QVandoquidem hucusq; Statuta & Decreta proximè præteritæ, Synodi Prouincialis Petricouiensis, Anno Millesimo Sexcentesimo Vigesimo Octauo celebratæ, per Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales Sacri Concilij Tridentini Interpretes, recognita, & emen-

emendata; & per Sanctissimum in Christo Patrem & Dominũ Vrbanum Papam Octauum approbata, nondum sunt in eadem Diœcesi publicata. Ideò Nos in præsenti Synodo Diœcesana, prædicta Statuta Prouincialia publicari mandamus, & publicamus, & pro publicatis habenda decernimus, vtq; ab Vniuerso Clero Diœcesis Vladislauiensis obseruentur, mandato & authoritate prælibati SS. D. N. districtè præcipimus.

De dispensationibus super pluralitate Beneficiorum exhibendis.

NIhil magis Sacri Canones execrari vidētur, quám pluritatem Beneficiorum, quæ etsi in his, partibus in quibus Beneficia Ecclesiastica valde tenuiter prouisa plerumq; existant, difficile euitari potest, nemo tamē adeò laxæ Cōscientiæ esse debet qui sine expressa Sedis Apostolicæ licentia, plura Beneficia præsertim Curata; vel residentiam requirentia, obtinere præsumat. Etsi autem multæ eiusmodi dispensationes, tam in visitatione quàm in præsenti Synodo fuerint iam Nobis exhibitæ quia tamen pleriq; adhuc reperiuntur, qui licet à Nobis admoniti, id tamen hucusq; facere neglexerunt. Ideò quamuis iam contra eos de rigore iuris procedere possemus. ex solita tamen benignitate Nostra, eisdem adhuc Semestre à publicatione præsentis Synodi, ad easdem dispensationes coram Nobis, vel Officio Nostro producendas assignamus, idq; sub pœna priuationis, à SS. Concilio Tridentino interposita, & per Nos contra inobedientes, irremissibiliter extendenda. *Sess. 24. cap. 17.*

De prælectione nonnullorũ Conc. Triden. Decretorum Curatos concernentium.

OMnia quidem sancita à Concilio Tridentino, salubriter decreta, mentibus spiritualium hærere debent; sed maximè ea quæ ad Beneficia Ecclesiastica legitimè assequenda, & ad ea ritè & ordinatè administranda, ac ad honestatem vitæ retinendam spectare videntur. Ideo ea in memoriam omnium hîc congregatorum reuocare, & menti illorum efficaciter imprimere volentes, eadem hîc prælegenda censuimus, videlicet Decretum Sess. 24. Cap. 12. De assecutione Dignitatũ & Canonicatuum Cathedraliũ, Decretum eiusdẽ Sessionis Cap. 18. de assecutione Beneficiorum Curatorum. Decretum de Residentia circa eadem Curata Beneficia Sess. 6. Cap. 1. & 2. & Sess 23. Cap. 1. de Refor. Decretum de pluralitate Beneficiorum Sess. 24. Cap. 17. Decretum de Continentia à Clericis in Sacris Ordinibus constitutis seruanda 25. Cap. 14- Ac deniq; Bullam Pij Papæ Quinti, contra intermittentes recitationem Diuinorum Officiorum editam; cuius in primo Capite huius Synodi mentionem fecimus.

De Executione Decretorũ, in proximè præterita Visitatione factorum.

Multa

MVlta quidem & ea perutilia, in Visitatione à Nobis, & ab ijs quibus id incumbebat peracta, sunt statuta & ordinata, quia tamen pleraq; in ijs, non tam eorum, quibus erant iniuncta, negligentia (quamuis & hæc in nonnullis est deprehensa) quàm temporum iniuria & iniquitate, nondum effectum suum commodè sortiri poterant. Ideò authoritate præsentis Synodi, omnes à quibus nondum eiusmodi Decretis Visitationis est planè satisfactum, monemus, ijsq; seriò præcipimus: vt intra sex Mensium, à publicatione præsentium decursum, omnes Ordinationes & Decreta prædictæ Visitationis exequi, & ad debitum effectum deduci curent idq; sub pænis arbitrio Nostro iniungendis, posteaquam à Decanis Ruralibus quibus eius rei inspectionem, singulis annis per singulas Decanatuum suorum Ecclesias faciendam committimus, de negligentia vel inobedientia ipsorum præmoniti fuerimus.

De obligatione Constitutionum in præsenti Synodo sancitarum: & de conclusione eiusdem.

QVandoquidem omnium legum & Constitutionum, vis & efficatia, in executione consistit. Eapropter non tantùm ad has præsentes Ordinationes Nostras; sed etiam ad omnia præscripta Epistolæ Pastoralis Macieiouanæ, (quam iam pridem ab vniuersa Prouincia Gnesnensi, authoritate Sedis Apostolicæ receptam, pro vsu huius Diœcesis, prout supra Nos facturos recepimus, huic Synodo adiungi curabimus) vni-

uorſum Clerum Noſtrum obligamus, & vt Decani Rurales huic negocio diligenter atttendant, ac in ſuis Cõgregationibus, ſeriam eius rationem, à Clero ſui Decanatus exigant, negligentes verò Nobis vel Officio Noſtro Ordinario deferant, ijsdem iniungimus. Et quòd reliquum eſt, præſentem Synodum prædictis Decretis de Conſilio totius Cleri, qui Synodo adfuit laudatis, & publicè lectis, ac ab eodem Clero acceptatis, in contumaciam abſentium in Dei nomine concludimus. Ab abſentibus autem cauſas legitimas abſentiæ ſuæ allatas, benignè audiuimus, & eas admiſimus, prout per præſentes admittimus. Nonnullos verò præſertim DD. Capitulares tam Cathedralis, quàm Collegiatæ Eccleſiarum, & Decanos Rurales (ſiquidem inferiorem Clerum, partim paupertas ipſa, partim locorum diſtãtia, partim etiam defectus Presbyterorum, ad exercitium curæ animarum ſubſtituendorum, ſufficienter excuſat) temere ſe abſentantes Contumaciæ pronunciamus, & eodem loco Cenſurarum Eccleſiaſticarum, ad pænam Triginta Marcarum, pro Fabrica Eccleſiæ Cathedralis & Collegiatæ reſpectiuè conuertendam, ac ad inſtantiam Inſtigatoris Noſtri, ab Officio Noſtro intra Semeſtre irremiſſibiliter exigendam, authoritate præſentis Synodi condemnamus.

Porrò cum Archidiaconatus Pomeraniæ in edicto Synodali ab intereſſentia huic Synodo, ob diſtantiam loci, & ob paucitatem Cleri, ſpecialiter fuerit exemptus, & ſolus Admodum R.dus Dominus Officialis Gedauenſis, cum R.dis Dominis Decanis Ruralibus, intereſſe iuſſus, ideò eiuſdem Cleri abſentiam, non tantùm excuſatam habemus, ſed etiam vt omnia Decreta & ſanci-

ſancita huius Synodi eidem, ne ab obſeruatione illorum ignorantiam prætendat, à ſingulis Decanis Ruralibus, in proxima Congregatione Decanali exhibeantur, & quæcunque hic acta & geſta ſunt per eoſdem fideliter deferatur, ordinamus ac iniungimus.

De publicatione Supplicationum pro præſentibus Reipublicæ neceſſitatibus.

PRo fælici ſucceſſu & determinatione præſentis Synodi, debitis Deo Præpotenti omnium bonorum largitori gratijs perſolutis, iuſtum eſſe & neceſſarium exiſtimamus, vt ad calcem illius gratiarum quoq; agendarum, tam pro Beneficijs præteritis Sereniſſimo Regi & Reipublicæ Noſtræ, in expedionibus Moſchouitica ac Turcica, ſeu Tartarica, abundè exhibitis, quàm etiam pro nouis impetrandis, modum per vniuerſam Diœceſim, ad vlteriorem declarationem Noſtram obſeruandum præſcribamus, Ita videlicet, vt pro obtentis quidem beneficijs, in omnibus Miſſis Conuentualibus diebus profeſtis Collecta, pro gratiarum actione ad alias ſolitas apponatur. Pro nouis verò obtinendis, & pro imminentibus periculis, à Patria noſtra auertendis Votiuum Sacrum, contra Paganos ab Eccleſia ordinatũ ſingulis Ferijs Quartis, in frequẽtiorib⁹ quidem locis cantatum, in alijs verò minoribus lectum habeatur. Ac præterea, in omnibus huius Diœceſis Eccleſijs, ſingulis Ferijs Quartis & Sextis, Litaniæ de Sanctis, cum ſolitis Collectis Proceſſionaliter decantentur. Pro ſalute denique

nique & incolumitate Regiæ Maiestatis, Domini Nostri Clementissimi, Collecta pro Rege, singulis diebus Dominicis, & Festis, maioribus solennitatibus duntaxat exceptis, in Missis cantatis adhibeatur. In genere autem pro omnibus Ecclesiæ & Patriæ Nostræ necessitatibus, in frequentioribus Ciuitatibus, & Oppidis, Quadraginta Horarum Orationes, diebus solennioribus, quando id oportunè fieri poterit, tam in Cathedrali & Collegiata, quàm Parochialibus & Regularibus Ecclesijs, cum expositione Venerabilis Sacramenti, & cum debito apparatu, singulis Mensibus semel peragantur. Ac in ijsdem & alijs omnibus Ecclesijs, singulis diebus Dominicis & Festis circa finem Missæ, hoc idem Venerebile Sacramentum in pixide clausa, publice exponatur; & cum eo præcinendo: Saluum fac popopulum tuum, & populo solennis benedictio detur. Ad quam quidem deuotionem frequentandam, fidelis populus crebris Concionatorum exhortationibus inducatur, propositis etiam Indulgentijs Quadraginta dierum, quas Nos ijs omnibus qui eiusmodi deuotionibus, interfuerint authoritate Nostra Ordinaria, Diuinæ misericordiæ confisi, elargimur.

SER-

SERMO

In Conclusione Synodi ab Illustrissimo Domino Episcopo habitus.

Synodo iam per Dei gratiam Fratres Charissimi fæliciter peracta, nihil aliud restat, quam ut Fraternitates Vestras pro munere Nostro Pastorali, Officii Vestri, paucis verbis admoneamus. Quod quidem cum in puritate propriæ Conscientiæ, & in zelo animarum vestræ curæ commissarum maxime consistat, utrumque quatenus memoriæ firmius hæreat, Fraternitatis Vestris, iam hinc discessuris, sedulo inculcandum esse duximus. Et quidem puritas Conscientiæ Nobis omnibus qui Diuinis seruitiis sumus mancipati, adeo est necessaria, ut absque ea, neque Missarum Sacrificia offere, neque Sacramenta a Christo instituta ministrare: neque alia Ecclesiastica munia obire, sine insigni iniuria Dei, & sine noua lethalis peccati obligatione possimus. Cum autem hoc tempore in Clero tria potissimum viciorum genera, auaritiæ videlicet, ebrietatis & incontinentiæ grassari videamus, ideo ad ea euellenda, nonnulla remedia breuiter hic innuenda esse, necessarium existimauimus. Et quidem quo ad primum cupientes ex animo, ut Nostræ Diœcesis Clerus, tetrum hoc auaritiæ crimen, quod Apostolus idolorum seruitutem merito appellat detestetur, virtutes vero huic vitio oppositas amplectatur, eidem pietatem erga Deum, & liberalitatem erga proximos, cæteraque misericordiæ opera, de quibus supremum illud Iudicium præcipue instituetur, summopere commendamus, & pro Pastorali Nostro Officio monemus ut tempestiue prouideat, ne ea quæ sollicite congregat, aliis qui nullam salutis suæ rationem sunt habituri diripienda, & quæ pro decore Domus Domini, & pro subleuanda proximorum

inopiæ

 inopia erant exponenda, pro luxu consanguineorum, ne dicam aliarum minus honestarum personarum, cum euidenti salutis suæ dispendio conuertenda relinquat, Ebrietatem autem tanquam aliorum vitiorum fontem, ab omnibus quidem Christi fidelibus, sed vel maxime a Clericis, ad contemplationem rerum cælestium, & ad seruitium Diuinum peculiariter obligatis, euitandam esse, non solum Sacra eloquia, sed etiam omnes Sancti Patres clamant; & quidem merito quomodo enim illi qui continue ebrietati dediti sunt mentem ad cælestia eleuare, vel Diuina Mysteria cum debita præparatione, & animi attentione absoluere, poterunt, qui etiam ratione, qua sola homo a bestiis differt, destituti, ad ipsas functiones humanas omnino inutiles redduntur? A quo quidem ebrietatis vicio, cum & illud aliud quod tertio loco posuimus videlicet luxuria suam originem trahat, siquidem crapula flammam libidinis nutrit, & venter vino repletus facile in eandem despumat, eo etiam magis est fugiendum, quo Clerum ad incontinentiam facit procliuiorem: quæ adeo statum spiritualem deturpat, vt ei dediti, nomine Sacerdotum indigni prorsus existant; quorum cum præcipuum sit munus, tremendum Missæ sacrificium Deo Præpotenti offerre, hoc autem Angelicam omnino puritatem requirat, quomodo ii qui cœno voluptatis immersi, & per carnalitatis vitium, vnum corpus iuxta Apostolum cum meretricibus effecti pol- 1. adCor. Cap. 6. lutis animis, ad hæc Diuina Mysteria, in quibus virgineum Christi corpus & purissimus sanguis ore sacerdotis conficiuntur, digne peragenda, accedent? Cum itaq; Sancta, sancte sint tractanda hoc præcipue Nos, qui Sacro Ordini nomina Nostra dedimus contendere debemus vt hoc Diuinissimum Sacrificium ita pure & caste Deo Præpotenti offeramus quatenus ex Nostris oblationibus, & tota Ecclesia vberem fructum percipiat, & Nos ipsi offerentes non damnationis pænam pro indigne præstito officio sed vitæ æternæ præmium pro munere laudabiliter expleto referamus. Iam vero quod attinet zelum animarum, Nostræ commissarum, de eo cum

Admo-

Admodum Reuerendus Dominus Generalis Vicarius, & Officia-
lis Noster, hesterna die prudenter & copiose disseruerit, Nos tantum ea, quæ in praxi maxime versantur paucis verbis hic attingemus. Et quidem si nulla alia ratio Nos, ad hanc præcipuam Officii Nostri Pastoralis functionem, inuitaret, hæc sola sufficienti incitamento Nobis esse debet, quod Christus Dominus, cuius Nos vices in terris gerimus, non solum vniuersas fidelium animas, sed etiam earum singulas adeo tenere & ardenter dilexerit, vt vnius duntaxat e seruitute Diabolica liberandæ causa, de cælo descendere; & omnes labores & dolores, quos in hac vita pertulit, tolerare fuerit paratus; ac proinde etiam, nullum ei a Nobis gratius officium præstare potest, quam cura circa salutem animarum, precioso ipsius sanguine redemptarum diligenter impensa, in qua, quoties occupamur; toties ipsi in ministerio redemptionis humanæ procurandæ cooperamur. Quamobrem Fratres Charissimi, omnes Vos quidem, sed vel maxime eos, quibus cura animarum incumbit, hortamur, & per viscera misericordiæ Dei obsecramus, quatenus vocationis vestræ memores, tam sublime & arduum opus, strenue & gnauiter obeatis, nullaque difficultate vel periculo, ab eo sedulo exequendo, deterreamini. Non sit Vobis graue circa Sacramentorum administrationem, laborem, solo animarum lucrandarum intuitu subire; non sit molestum ad Parochianos in ægritudine constitutos, ad primam notitiam accurrere, eosque Sacramentis præmunitos, ad illum extremum agonem, ex quo fæliciter decurso, salus omnium Nostrum dependet, disponere; non sit denique tædiosum, iisdem iam in morte conflictantibus, ad extremum vsque halitum, præsentes assistere. Eos vero quos corpore quidem sanos, sed animo grauiter ægrotantes in statu peccati versari, & iniquitates tanquam aquam libere cernitis, ad resipiscentiam verbo & exemplo sedulo inducatis, neque illis oportunas monitiones, & necessarias, correctiones, metu aliquo, vel respectu humano subtrahatis. Si enim iuxta doctrinam Apostoli-

 cam

cam vnicuique cura de salute proximi demandata est, tanto magis Nobis, qui ideo munus Pastorum sustinemus, vt salutis ouium nobis commissarum causa, non solum molestias & labores perferre, sed etiam ipsum sanguinem, exemplo Christi Domini perfundere, paratissimus, si illum diurnum denarium pro labore in Vinea Domini strenue impenso, & pro duplici lucro asportato, ab illo cælesti Patrefamilias, percipere desideramus, In quo cum omnis Nostra fælicitas consistat, idcirco vt Nobis post exhantlatos huius vitæ caducæ labores, in illa æterna Patria obueniat, iure merito, omni studio & conatu adniti debemus.

EPISTOLA PASTORALIS,

Bonæ memoriæ Jll^mi Cardinalis MACIEIOWSKI, iterum à Sacra Congregatione Illustriss: Cardinalium S. Concilij Trident: Interpretum, recognita & à SS. D. N. D. VRBANO Papa VIII. approbata.

BERNARDVS, Miseratione Diuina, tit: S. Joannis ante Portam Latinam, S. R. E. Presbyter Cardinalis, MACIEIOWSKI *nuncupatus, Archiepiscopus Gnesnensis, Legatus Natus, Regni Poloniæ Primas, & Primus Princeps &c.*

Vniuersis & singulis, Archipresbyteris, Plebanis, Commendarijs, Vicarijs, & alijs quibuscunq; per & intra Prouinciam nostram Gnesnen: curam animarum habentibus.

Salutem in Domino.

CVM, vt D. Gregorius, norma & exemplar Pastorum, in suo Pastorali ait, scientia scientiarum, atq; ars sit artium, cura & regimen animarum; meritò Maiores nostri, nullam diligentiam in describendo hoc munere sufficere existimantes, multa & præclara de eo, non modò priuatim, pro Diœcesi ac Prouincia quisq; sua, in peculiaribus Synodis, sed & publicè, pro Ecclesia vniuersa, in Generalibus Concilijs atq; Decretis Pontificum, singulis ferè ætatibus, nostraq; hac etiam statuerunt. Quæ omnia cognita & perspecta habere, sicut vtilitas, imò necessitas est maxima, ita ob multitudinem & varietatem eorumdem, difficultas videtur propè infinita. Nos igitur, memores officij nostri, quo non solùm peruigilare ipsi de concreditis nobis animabus, tanquam rationem reddituri strictissimam, sed & vobis, qui in partem sollicitudinis huius nostræ vocati à Domino estis, opportuna tenemur ministrare

ſubſidia; atq; idcirco prouidentes, ne vel defectu librorum ignorare neceſſaria, vel hinc inde ſparſa atq; indigeſta indagare vos laborioſiùs oporteat: ex denſiſſima quaſi recentium iuxta ac veterum Conſtitutionum ſylua, nonnulla, quæ maximè ad hoc propoſitum ſpectant, eligere, ponereque veluti ſub vnũ aſpectum, ac promptuarij cuiuſdam inſtar, exhibere vobis induximus in animum; prout quidem ponimus, atque exhibemus per has noſtras præſentes; ex quibus, quo pacto ordines, & beneficia recipere, fabricam & ſupellectilem curare Eccleſiæ, miniſtrare Sacramenta, verbo & exemplo paſcere commiſſum vobis gregem, bona ac prouentus Eccleſiaſticos tueri & adminiſtrare debeatis: plurimaque alia, quæ ad officium veſtrum Paſtorale pertinent, facile, & in promptu ſit vobis depromere. Veſtrum itaq; erit legere hæc omnia diligenter, lectaque, meditata, & quaſi in ſuccum cõuerſa, quàm ſtudioſiſſimè exequi.

De Ordinatione Clericorum.

QVia nihil æquè Miniſtrorum Eccleſiæ, vel mores corrumpit, vel otium atque ſocordiam fouet, quàm ſi, quod eſt primum quaſi Hierarchicæ ædificationis fundamẽtum, cui malè iacto quicquid ſuper ſtruxerimus ruit, ad Ordines Sacros & properant ipſi, & facilè nulloq; aut paruo admittantur delectu: ideo quicunque nuncupari deinceps Eccleſiaſtico miniſterio volent, caueant inprimis, ne gratia cuiuſquam, vel metu, viuendiuè licentiùs, aut ſæcularis iudicij fugiẽdi animo, vel quod ſæpè accidit, temporalis commodi lucriuè intuitu, quæſtum facientes pietatem, & quantum in eis eſt, oſtentui diuina habentes, eligant hoc ſanctum vitæ, atq; Angelicis humeris formidandum officij genus; quin potiùs id ſibi propoſitum habeant, vt piè & caſtè viuentes in hoc ſæculo, Deo fidelem cultum, Eccleſiæ obſequium, proximorum ſaluti ſedulam operam nauent. Sicut enim ex bona vel mala radice, bonus aut malus fructus; ita ex intentione accedentium ad Ordines, laudabilis poſtmodum, aut praua eorundem conuerſatio prodit. Sint

Sint deinde scientia & literatura instructi competente. Et ad minores quidem Ordines admittendi, legere sciant, & scribere, linguamq; Latinam saltem intelligant, & fidei rudimenta teneant: ad Maiores autem promouendi, versati sint saltem mediocriter in literis, nouerintq; recitare Horas Canonicas, & habeant Breuiarium. Sciant item reddere rationem Sacramentorum omnium in genere, speciatim verò, pertinentium ad naturam & exercitium Ordinis eius, ad quem promoueri cupiunt. Presbyterandi autem, idonei sint præterea, ad docendum populum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & ad administranda eidem Sacramenta.

Testimonium quoque omnes habeant bonum, quemadmodum Sacro Tridentino Concilio præcipitur, *Sess 23. de ref. c. 5.* Ad Minores quidem promouendi, à Parocho, & Magistro Scholæ, in qua educantur: ad Maiores autem singulos euehendi, vno mēse ante ordinationem, Ordinarium loci, vel Officialem eius generalem, aut si is etiam lòngè distet, foraneum quisque suum adeant, expositurì illis nomen, cognomen, parentes, & patriam, in qua nati sunt, vel vbi domicilium habeant. Ordinarius verò, vel Officiales eius, committent Parochis locorū, aut quibus magis expedire viderint, vt nominibus & desiderio illorum publicè in Ecclesia propositis, de natalibus, ætate, moribus, & vita ipsorum perquirant à fide dignis, literasque, inquisitionem huiusmodi continentes, ad Ordinarium, vel Archidiaconum eius, tēpestiuè transmittant, aut eisdem ordinādis, qui Feria quarta, ordinationem proximè præcedente, præsentare se illis pro examine debebunt, deferēdas tradant, clausas tamen.

Viderint autem isti, quibus & quomodo testimonium perhibebant, quamque, si quod absit, inhabiles aut scandalosos commendent, præter grauissimum falsæ attestationis crimen quod incurrunt, impij sint etiam in Deum, atque Ecclesiam,

dum superioribus tales Ordinãdos obtrudunt, in dedecus Clericalis Ordinis, ruinamque & perniciem multorum.

Atque ætas quidem, in assumendis ad primam tonsuram, & tres Minores Ordines, septem; ad Acolytatum, duodecim cõpletorum; ad Subdiaconatum, viginti duorum; ad Diaconatũ, viginti trium; ad Presbyteratum, viginti quinque annorum requiritur: istos tamen sufficit inchoatos esse.

De vita autem & moribus, cùm inquisitio fiet, inuestigent etiam, perscribantque Parochi, an promoti iam antea ad aliquos Ordines, si vlterioribus insigniri cupiunt, modestè vt ministros Dei, vocatosque in sortem eius decet, viuant; num in ministerio Ecclesiæ, atque exercendis susceptis Ordinibus sint assidui, reuerentiam Presbyteris, & alijs Superioribus exhibeant, Sacramenta Pœnitentiæ & Communionis, crebriùs quàm antea vsurpent.

Et quoniam prohibet Apostolus, ne cuiquam manus citò imponamus; nemo se in posterum, à susceptione vltimi Minorum Ordinum gradus, ad Maiorem, vel ab vno Maiorum, ad alterum promouendum speret, qui in ante suscepto annum saltem vnum in Ecclesia cui asscriptus est, non ministrauerit; nisi fortè vel causa studiorum absit, vel Ordinarius loci, expedire aliter ob necessitatem, aut vtilitatem Ecclesiæ existimauerit.

Nullus item Clericus secularis, ne cum dedecore Ordinis mendicare, vel sordidum aliquem quæstum exercere, sedibusuè incertis vagari cogatur, quamuis idoneus aliàs, admittatur ad Ordines sacros, nisi priùs, iuxta Tridentinum Concilium, *Sess: 21. de ref: c.* 1. legitimè constet, possidere eum beneficium pacificè, vel in aliqua Ecclesia receptiua prouisionem habere certam, quæ sibi pro victu & amictu honesto sufficiat. Beneficium autem illud resignare non poterit, nisi facta mentione, quòd ad titulum eius sit promotus, neque ea resignatio admittetur, nisi constito, quod possit aliundè commodè viuere. Ec-

clesiam etiam in qua prouisus erat, inconsulto Ordinario, vel Officio eius, non dimittet, aliâs interdictum sibi esse propterea exercitio Ordinum sciat. Similiter, si quispiam intuitu patrimonij sui ordinatus fuerit, alienari patrimonium illud, extinguiuè vel remitti nullatenus poterit, sine Ordinarij, aut Officij eius licentia, donec sit promotus, vel beneficium aliquod sufficiens assequatur, vel habeat aliàs vnde viuat.

Caueant autem, tam Ordinandi, quàm Parochi, & alij quicunque, assignantes illis prouisiones in suis Ecclesijs, ne, quod sæpè faciunt, fictis, atque ementitis pro tempore prouisionibus, Ordinarijs, vel Archidiaconis illorum, conentur imponere; aliàs scienter & in fraudem hoc modo prouisi, suspēsi sint ipso facto ab executione susceptorum Ordinum, speque & facultate omni aspirandi ad superiores careant: prouidentes autem, pœnam excommunicationis incurrent.

Porrò alienæ Diœcesis Clerici, nisi vel versati fuerint in familiaritate Episcopi integro triennio, vel domicilium firmum, à decem saltem annis, sine voluntate redeundi ad locum originis, in Diœcesi eius habuerint, vel aliàs domicilium contraxerint, iuxta iuris dispositionem, ordinari ab illo non poterunt, absque dimissorijs Ordinariorum suorū literis, in quibus, præter facultatem suscipiendi Ordines ab alieno Episcopo, causæ etiam concessionis huiusmodi exprimantur, examinatosque illos, de natalibus, ætate, scientia, moribus, ac probatos esse, & beneficium, aut patrimonium, prouisionemuè in receptiua aliqua Ecclesia habere, appareat.

Nouerint denique vniuersi, non admittendos se esse ad Ordines sacros, citra obtentam legitimè, atque exhibitam Ordinarijs, vel Archidiaconis eorum dispēsationem, aut nisi aliàs idonei & habiles reddantur illegitimi, Hereticis parentibus non conuersis postea nati, aut ipsi quandoq; in Hæresim lapsi, Neophiti, Bigami, Irregulares, Suspensi, Interdicti, Excommuni-

cati maiori excommunicatione. Minores natu, non Confirmati, rudes atque ignari, criminosi, & solemniter pœnitentes, homicidæ, adulteri, periuri, vsurarij, manifesti, gulæ & ebrietati dediti, infames, obligati ratiocinijs, serui, vitiati corpore, insigniter deformes, peregrini & ignoti, hermaphroditæ, amẽtes, caduco morbo laborantes, energumeni, & alij id genus, quibuscunque Canonicis impedimentis obnoxij.

De modo acceptandi beneficia Ecclesiastica.

CVM vt plurimùm ascensui descensus respondeat, quique non per ostium, nec per gradus, sed aliunde, & peccati dæmonisque ministerio euehuntur, ad templi pinnaculum sæpè impellente eodem, præcipites ad infera ruant: nemo, quod plerique praua & inueterata consuetudine faciunt, resignanda ab alijs beneficia, priusquam reuera resignentur, etiam sub clausula, resignaturus est, impetret: Omnes enim præsentationes & collationes huiusmodi contrariæ sunt iuri, ac proinde irritæ & nullæ.

Nullus item præsentandus, pacisci cum Patronis, aut transigere quouis modo audeat, de alienandis hoc nomine, vel non repetendis ab eis bonis, aut iuribus Ecclesiæ, decimisuè manipularibus, in pecuniarias conuertendis, vel locandis, aut minuendo earundem precio, sub pænis, à iure in prouisos simoniacè latis.

Sint verò Plabani, & alij Beneficiati omnes, instituti ab Ordinarijs suis, aut Vicarijs eorum generalibus, teneanturque eisdem, cùm requirent, & visitatoribus illorum, ostendere literas institutionis suæ.

Si quis autem eò temeritatis processerit, vt Parochialem Ecclesiam, vel aliud quodcunque curatum, aut sine cura beneficium, admnistrationemuè, vel detentionem eius, de manu laicali sine institutione, commendationeuè Canonica recipere, aut recepta tenere, sub quouis colore & prætextu audeat; præter-

terquam, quòd iure & auctoritate administrandi in eis Sacramenta carebit, fructúsque non faciet suos, & restituere tenebitur; ad beneficium quoque illud, & aliud quodcunque obtinendum reddetur inhabilis; sed & alijs, si quæ habet, Canonicè obtentis, priuatus erit eo ipso: obedientesque & præstantes subiectionem vllam occupatori vel detentori huiusmodi, siquidem vniuersitas sit, interdicti; si persona singularis, excommunicationis sententiam incurrent.

Et quoniam beneficium datur propter officium, quique ex Altari viuit, Altari seruire debet: omnes instituti ad beneficia curata, vel aliàs quouis modo obligationem huiusmodi annexam habentia, tenentur infra annum post adeptam pacificam illorum possessionem, nisi legitimum impedimentum obstet, sub priuatione eorumdem, ipso iure, ad Sacerdotium promoueri, primamque suam Missam infra sex ad summum mēses celebrare, sub pœnis in cōstitutionibus Prouincialibus expressis.

De fabrica Ecclesiæ.

INter multa, quæ curam & studium Sacerdotum decēt; haud postremum est illud, vt Ecclesiam quisque suam quasi sponsam excolat, & ornet, diligatque decorem domus Dei, & locū habitationis gloriæ eius. Nihil est enim, quod vel illos chariores populo reddat, vel populum ipsum ad deuotionem & pietatem omnem moueat & excitet magis.

Primum itaque det operam Parochus, vt Ecclesia cui præest, tecta sit, & clausa probè, parietes habeat firmos, nec hiantes fissuris, fenestras vitro clausas, fornicemque aut laquear decēs.

Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum teneatur in tabernaculo competenti, super Altare maius, vbi id commodè fieri potest, vel in alio loco conspicuo & nobiliori totius Ecclesiæ sito, seraque munito, cuius clauis cautè à Parocho, vel Sacrorum custode seruetur. Recondatur autem in pixide argentea,

deaura-

deaurata, supposito eidem corporali, & renouetur octauo quolibet, aut quindecimo ad summum die, sęperque ante illud lāpas, vel cæreus ardeat, præsertim diebus festis, dum populus in Ecclesia congregatur. Quoties autem deferendum ad infirmos erit, particulæ aliquot in alio vasculo argenteo relinquantur, propter ingredientes interim Ecclesiam, ne flectentes ante Sacrarium, cultumque latriæ exercentes, errorem committant.

Olea quoque sacra cum Chrismate, in loco benè clauso & decenti, extra tamen tabernaculum sanctissimi Sacramenti, in quo nihil præter illud poni debet, inque tersis ac nitidis vasculis; Infirmorum autem, etiam in separato ab alijs collocentur: neque ad Baptismum vel infirmos, nisi à superpelliceatis Sacerdotibus, atque cum lumine deferantur. Noua singulis annis, tēpestiuè, post diem sanctum Cœnæ Domini, per Clericos, nō laicos, ex Ecclesia Cathedrali afferantur, ac modicè, vbi necessitas exiget, mundo & recenti oleo diluantur: vetera autem, extra casum necessitatis, ne adhibeantur à Parocho, sed quotannis pariter in lapide, destinato ad hunc vsum, comburantur.

Fontem item Baptismalem, nitidè, atque sub clausura teneat Ecclesiæ rector, vasque fontis, sæpiùs intra annum mundet, aquam eiusdem, per pannum lineum mundum in olam nouam colando, qua refusa in vas suum sic mundatum, pannus ille cōburatur, & olla confracta subterretur. Quando verò renouāda statis tēporibus erit aqua prior, quæ in vase fuerat, in sacrarium proijciatur.

Reliquiæ si quæ sint approbatæ, in Ecclesia loco decenti, tuto, neque humido seruentur, quæuè & quorum sint Sanctorū, superscriptis eorum nominibus pateat: quin & Catalogi illarum describantur in tabellis, cum Antiphonis, Versiculis, & orationibus suorum Sanctorum, quæ iuxta Altare, vel alium locū, vbi illæ repositæ fuerint, pro oraturis ante eas fidelibus, appendantur. Quoties autem venerandæ exponentur populo,

lo, non permittant, eas osculari aut tangere seculares, sed vasa duntaxat, siue thecas illarum. Si quæ verò incertæ sunt, & inscriptione carent, non ostendantur publicè, sed reuerenter in sacrario teneantur. Nouæ autem vndecunq; allatæ, non recipiantur ad Ecclesiam sine recognitione & approbatione Ordinarij. Nulli item liceat accipere vel minimam illarum particulam; aut dare cuiuis personæ, sine licentia eiusdem, sub pœna excommunicationis incurrenda ipso facto.

Imagines & signa nonnisi Sanctorum, eaque decentia, ac quæ ore, affectu, habituque corporis, religionis speciem præ se ferant, & ad pietatem animos intuentium prouocent, in Templis & Altaribus collocentur: imago autem Crucifixi, in medio cuiusque Ecclesiæ statuatur.

Altaria sint munda, cooperianturque vmbellis, præsertim maius, aut telâ coloratâ ad arcendum puluerem: gradus item firmos, decliues & pro capacitate loci spaciosos, habeant.

Suggestus pro prædicando verbo Dei, loco eminenti atque conspicuo, & quoad fieri potest, in medio Ecclesiæ, quò meliùs videre omnes Prædicator, viderique ipse & audiri ab omnibus valeat, collocetur; tegaturque laqueari ligneo, quò sensibiliùs per infera vox Concionatoris diffundatur.

Confessionalia etiam, tot in publico & aperto loco, remoto tamen ab Altari maiori, extruantur, quot pro confitentium frequentia, & Confessariorum numero sufficiant.

Pauimentum Ecclesiæ stratum sit, & æquale, scopeturque frequenter. Cùm autem fidelium corpora sub eo conduntur, coaptetur, & planetur denuò, profundeque fodiantur, & claudantur optimè sepulchra, ne feteant.

Vas cum aqua benedicta, pro aspersione, in ingressu, & egressu fidelium, propè limen, intra tamen Ecclesiam statuatur, quæ singulis diebus Dominicis renouata, vetus in sacrarium aut per Ecclesiam effundatur.

Trabes, frumenta, merces, resque aliæ profanæ, etiam in scrinijs, valisijs, vel dolijs, non asseruentur in Ecclesia, nisi fortè id fabricæ, belli, aut incendij necessitas postulet: qua cessante, curet ea statim amoueri inde Parochus.

Extruatur etiam porticus ante ostium Ecclesiæ, quæ exorcisaturo baptisandos, vel introducturo puerperas Parocho, pauperibusque petentibus eleemosynam, pro receptaculo deseruiat.

Cæmeterium sit septum & clausum, ne brutorum incursionibus pateat, nullæque sint in eo immūditiæ, lignorumuè strues, aut cæmentorum acerui; sed & frutices ac vrticæ, si quæ excreuerint, succidantur: arbores tamen, ob tuendam à circumuicinis incendijs Ecclesiam, sini & plantari poterunt, dummodò luminibus templi propinquitate sua non officiant.

Sit etiam ossorium separatum à parietibus Ecclesiæ, in quod ossa mortuorum congerantur, feretrumque pro deportandis ad sepulturam cadaueribus.

Campanæ non appendantur in trabibus parieti Ecclesiæ adnixis, sed sublimes in campanili erigantur, sintque benedictæ, & aliqua illarum quotidie, in ortu & occasu solis, pro signo salutationis Angelicæ, pulsetur.

De supellectili sacra.

HAbeantur etiam in qualibet Ecclesia, albi, rubri, viridis, violacei & nigri coloris, conuenientia splendori, ac redditibus eius, Altarium, Sacerdotum, & Ministrantium illis, ornamenta; vt, antependia, pallia, cassulæ, dalmaticæ, stolæ, manipularia, cingula, mappæ, albæ, amictus, altaria, portatilia, cruces, patinæ, calices, vella pro eisdem, corporalia cum bursis suis, pallæ, purificatoria, vrceoli pro vino & aqua, peluiculæ pro lauandis ad altare manibus, manutergia, pulpita seu puluinaria pro Missali, campanulæ, thurribula, nauicellæ, candelabra, cærei superpelliceâ, vexilla, vasculum cum plumbo pro seruā-

dis hostijs, atque instrumenta ferrea, pro pinsendis & formandis eisdem. Quæ si ob tenuitatem prouentuum Ecclesiæ non habebit vnde prouideat Parochus, recurrat ad opem fidelium, præsertim Patronorum, suadeatque, vt quemadmodum cultũ & nitorem domus quisque suæ amant, ita Ecclesiæ, in qua nati sunt, ex aqua & Spiritu S. doctrinaq; Christiana, & Sacramentorum participatione educantur, quæque tandem functorum hac vita, & ipsorum, & charissimorum illis, futura est domus in æternum, debitam rationem habeant.

Habeantur item manuscripti, arte tamen & seorsim ligati libri, Baptisatorum, Cõfirmatorum, Contrahentium matrimonia, negligentium confiteri, vel communicare, tempore Paschali, Decretorum, Visitationis, Excommunicationum fulminatarum, Anniuersariorum pro defunctis, necnon matriculæ animarum omnium, quæ sunt in illa Parochiia.

Vniuersa autem hæc, tam sacra, quàm profana supellex, in vestiarijs siue armarijs benè clausis & mundis, sacrarioque nec obscuro, nec humido, quàm ordinatissimè disposita, seruetur, semelque ad minus in anno, omnes sacræ vestes siccandæ in solem exponantur; lineæ autem sæpè, sed corporalia, nonnisi à Sacerdotibus, vel saltem Diaconis, intraque sacrarium, & in destinatis ad hoc ipsum vasis, lauentur.

Fiat etiam Inuentarium totius supellectilis Ecclesiæ, quòd retineatur à Parocho, cum sigillis eius atque vitricorum, aut aliorum probatorum hominum; alterum verò simile huic, ad Loci ordinarium transmittatur.

Habeantur denique libri, vnus à Rectore Ecclèsiæ, alter à vitricis, in quibus diligenter porrectiones siue eleemosynæ, pro fabrica & necessitatibus Ecclesiæ, fieri à fidelibus solitæ, dispensatioque earundem, quæ cum consilio Parochi semper fiet, describantur; & iuxta hos libros, rationem quotannis vitrici tenebuntur facere.

MVnus atque officium præsidentium Ecclesijs, maximè curatis, hoc exigit, vt agnoscant vultum pecoris sui, vocẽt oues singulas nominatim, prædicatione verbi Dei, administratione Sacramentorum, & bonorum operum exemplo pascant; faciantque alia quàm plurima, quæ præstari nisi ab assiduis & inuigilantibus gregi suo, non possunt. Expedit proinde, vt quilibet Ecclesiam huiusmodi obtinens, resideat in ea personaliter, neque vltra duos aut ad summum tres menses, siue continuos, siue interruptos, singulis annis, vel certè ex graui tãtùm causa, cognoscenda ab Ordinario, & cum licentia eius in scriptis obtenta, prouisoq; ne interim cura animarum negligatur, aut Ecclesia debitis fraudetur obsequijs, abesse præsumat; alioqui præter peccati mortalis reatum, quem incurret, fructus quoque pro rata temporis absentiæ, non faciet suos, etiam non secuta alia declaratione, nque tutâ conscientiâ retinere eos poterit, sed in vtilitatem eiusdem Ecclesiæ, vel eleemosynã pauperum conuerti debebunt, Ordinarij arbitrio. Quin & grauioribus pœnis, si quis hac in parte remissus & cõtumax fuerit, succumbet.

In primis autem caueant Parochi, ne tempore Aduentus, Quadragesimæ, Natiuitatis, & Resurrectionis Domini, Pentecostès item, ac solemnitatis Sacratissimi Corporis Christi, Patronique, & Dedicationis Ecclesiæ suæ, absint, in quibus potissimum refici fideles, & gaudere Pastorum præsentiâ debent.

Sæuiente etiam peste, cùm si quando aliàs, tunc maximè indigeant opera illorum, non deserant populos suos, moneantq; dum sani sunt, vt confiteantur, atque communicent tempestiuè; qui si nihilominus confiteri ad extremam vsque necessitatẽ distulerint, per se vel alios idoneos Sacerdotes ex longinquo, per obices, in aperto aëre, vel qua tandem tutiori ratione poterunt; imo cum periculo etiam vitæ, confessiones illorum excipiant,

piant, atque Sacramentum Baptismatis, tam paruulis, quàm adultis ad fidem conuersis, ministrent. Nullique omnino hæc præcipua duo tam necessaria Sacramenta etiam eo tempore denegent.

De Vicarijs.

SI qui autem, gratiam de non residendo apud Ecclesiam suam, aut plura curata, vel aliâs curatis incompatibilia beneficia, ex dispensatione Apostolica obtineant, adesseq; propterea omnibus non possint: inprimis dispensationes huiusmodi teneantur quamprimùm Ordinario exhibere; deinde habeant Vicarios ritè Ordinatos, probos, honestos, diligentes, & quantùm fieri potest, eruditos, probatosque ab Ordinario, vel officio eius generali, quibus debent assignare congruam fructuum portionem, vel condigna aliâs soluere salaria. Hoc tamen non obstante, ipsi etiam sæpè in persona visitent Ecclesias suas, iuxta Constitutiones Prouinciæ.

Sed & vbi ita numerosus est populus, vt ipsemet residēs Rector, ministrandis Sacramentis, Diuinoq; cultui peragendo sufficere nequeat, adiungere sibi debet vnum, aut plures, pro exigentia loci, & quantitate prouentuum Ecclesiæ, similes Vicarios, non Regulares tamen, aut Apostatas, publiceué criminosos, quibus parem ac ipse habet etiam prædicandi, atque absoluendi Parochianos potestatem, non requisita si remotiùs degat, approbatione Ordinarij sui, tribuere valeat; dummodò prædicti Vicarij à Decano rurali, congregationem tunc Parochorum celebrante, vel ab Officiali districtus illius foraneo, idonei reperti atque approbati fuerint: in quo conscientias eorundem, Decani & Officialis, oneramus. Fiet autem & scribetur hæc approbatio gratis; semelque approbatus, pro idoneo semper habebitur, quamdiu Ecclesiæ illi ministrabit.

Nullus item Rectorum, in Vicarios huiusmodi, recipere audeat Sacerdotes forenses, siue peregrinos, & vagos alienæ

Diœcesis, absque testimonialibus & dimissorialibus Ordinariorum suorum; vel si sint eiusdem Diœcesis, siue Prælati, Parochiué, cuius Ecclesiæ immediatè seruierunt, literis; sub pœna decem marcarum, exigenda per Instigatorem officij, ad delationem Decani Ruralis, pijsque locis, arbitrio Ordinarij seu Officialium eius, applicanda. Sed nec dicti Vicarij, postquam se Ecclesiæ alicuius ministerio adiunxerint, audeant sub pœna eadem, inuito, vel ante trimestre non monitu Parocho, Ecclesiam illam deserere; qui se grauatos à Parocho senserint, recurrant ad Ordinarium, vel Officium eius, exponantque sua grauamina.

De Scholaribus, & Scholarum Magistris.

QVia multùm refert, iuuentutem moribus & artibus optimis à teneris imbui: sit apud Ecclesiam quamlibet Schola, Clericusque Baccalaureus, vel Magister artium, pro eo, ac loci postulabit dignitas; qui professione fidei circa receptionem Scholæ, in manibus Parochi, vel Vicarij eius, iuxta Bullam Pij IV. facta, pueros Parochianorum, pietate & doctrina excolat; ac in primis curet, vt iuniores quidem, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Articulos fidei, Decalogi & Ecclesiæ præcepta; prouectiores autem, reliquum etiam Catechismum memoriter teneant, & quandoque publicè in Ecclesia recitent; modum item ministrandi operanti diuina Presbytero, calleant, subindeque Grammaticam, & alias triuiales artes, cum humanioribus literis, pro ætate & captu discentium, docere eos non negligat: libris tamen Melanchtonis, & aliorum Hæreticorum abstineat, solumque approbatos, & in fide non suspectos auctores interpretetur.

Prouideat autem Parochus, vt tam dictus Rector Scholæ, quàm Cantor, & alij adolescentes, qui in Schola degunt, sobriè, honestè, & quietè viuant. Solent enim quandoque, mala & dissolutâ vitâ suâ perturbare alios, scandaloque esse etiam

inge-

ingenuis pueris, qui dum Scholas frequentant, dapravatos illorum mores intuentur, obseruant, imbibuntque facilè.

Omnes etiam isti, vt ministros Ecclesiæ decet, Clericali habitu, vel consueto saltem talari vtantur, sub pœna in Constitutionibus Prouincialibus expressa.

Atque Rector quidem & Cantor, repugnante nec monito tempestiuè Parocho, locum non immutent: alioquin tam ipsi, quàm qui eos recipit, sine dimissorijs à Parocho litteris, pœnâ, illi decem, isti quinque marcarum, mulctentur; liberum tamen erit ipsis, si grauentur à Parocho, ad Ordinarium loci vel Officium eius recurrere. Adolescentes quoque commigrare de vna Schola in aliam, sine licentia & testimonio sui Rectoris, non audeant, & recipi à quoquam non possint. Vagabundi autem à Ciuitatibns & Oppidis abigantur.

De Prædicatione Verbi DEI.

CVm ad retinendos in officio, atque informandos omni pietate homines, nihil in Ecclesia vtilius & efficacius habeatur prædicatione Verbi Dei, quod est penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingitque ad diuisionem vsque animæ & spiritus: Volumus, vt Parochi, & alij quicunque Ecclesiarum Rectores, quorum præcipua hæc est pars officij, per se, vel si ipsi legitimè impediti fuerint, per alios idoneos atque approbatos, vt supra, Sacerdotes, diebns saltem Dominicis, & festis solemnibus; in Aduentu autem, & Quadragesima, duabus præterea ad minimum ferijs, erudiant pro Concionibus populum, deterreantque à vitijs, & ad virtutes cohortētur, ac præmia bonorū cœlestia, cum æternis malorū supplicijs, sedulò inculcēt.

Accommodent autem præcipuè se, & doctrinam suam, ætati, ingenio, conditioni, studijs, & moribus audientium, omniaque omnibus efficiantur, vt omnes Christo lucrifaciant; atque alijs quidem, vt modò genitis infantibus lac, aliis vt prouectioribus iam vel adultis in Christo, solidiores cibos subministrent:

sistrent: Omnibus autem & singulis, ea præbeant doctrinæ alimenta, quæ spiritum augeant, promoueantque illos in virum perfectum.

Sed & temporis ipsius rationem habeant, illiq; potissimùm sermonem conforment, vt tempore (verbi gratia) Carnispriuij, ab ebrietatibus & impudicitijs populum auertant; in Quadragesima autem, ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta præparent; & sic in reliquis anni partibus, pro, vel occasione ab Euangelio, Epistola, Lectione, festo ritibusué ac cerimonijs Ecclesiæ data, præcipua doctrinæ Christianæ capita explicēt, vel propensione tunc maiori hominum ad aliqua vitia, eadem perstringant, & ad contrarias virtutes hortentur. Ad quorum vtrumque Catechismus Concilij Tridentini, cūm Postilis Wuieci, & Skargæ, abundè suppeditabunt illis, non solùm materiam, sed & tractandæ eius modum.

Ante omnia verò, rudimenta fidei, & necessaria omnibus ad salutem doceant; Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, Decalogum, Sacramentorum vim, naturam, & vsum; necnon Præcepta Ecclesiæ, cùm in matutinis Concionibus, pro opportunitate exhibita, tum in pomeridiana Catechismi explicatione, iuxta Synodale Decretum explanent, atque ad hos quasi fontes, omnem suam doctrinam reducant.

Et de rebus quidem controuersis in fide, apud rudem & Catholicam plebem, disputationes longas non instituant; si quæ tamen occasio, aut necessitas postulet, modestè id, sineq; conuitio, & cum ea quæ ministros Dei decet charitate, præstent; vt non tam persequi aduersarios, quàm errantes ad viam veritatis reducere, cupere videantur; dogmataque duntaxat Ecclesiæ sacrâ Scripturâ, probatis traditionibus, auctoritate Cōciliorum, & SS. Patrum doctrinâ, confirment; recensendis autem argumentis Hæreticorum supersedeant, nisi illa & ipsi resoluere solidè, & qui eos audiunt, vim & energiam solutionū percipere valeant.

Scho-

Scholastica etiam curiosa, quæque ad ædificationem non faciunt, coram idiotis non tractent. Sæpe enim accidit, vt quia auditores, neq; dicta ob subtilitatem intelligunt, neq; ob impensam subtilibus totam concionem, audiunt conuenientia captui suo, vacui, inanesque fructuum verbi Dei recedant, impleaturque illud Propheticum: *Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.*

Historiam nonnisi probatas vsurpent: nugis autem, fabellis, leporibus, & facetè dictis, pigmentis item ac cerusis verborum, quæ Euangelij grauitatem dehonestant potiùs quàm ornant, abstineant omninò; neque tam studeant demulcere audientium aures, quàm frangere animos, & deterrere à vitijs, quæ nunc communiter genus humanum infestant; vt sunt, inimicitiæ capitales, publicæ iniuriæ, virginum & viduarum raptus; adulteria, vsuræ, furta, rapinæ, periuria, calumniæ, iudiciorũ iniquitas, legum & magistratuum contemptus, subditorum oppressio, violatio Festorum, imprecationes, blasphemiæ, maleficia, præstigia, ebrietates impudentes, luxus incorrigibilis, perpetuum ocium. Contra verò hortari atque inflammare eosdem ad pietatem in Deum, obseruantiam in superiores, benignitatem in subditos, honorem erga pares, amorem in omnes; patientiam, humilitatem, castimoniam, sobrietatem, & alias id genus virtutes.

Quoties autem in scelera, præsertim familiaria auditoribus, inuehentur acriùs; non hominum, sed peccatorum odio id faciant, neminemque expressè, aut per circumlocutionem notent, & maximè constitutis in aliqua dignitate, caueant ne acerbè, aut nominatim obiurgent, sed leuiter atque in genere tantùm admoneant.

Quodsi fortè ij qui prædicaturi sunt, neque ingenio, neq; memoria valeant, Homiliam aliquam de tempore, ex dictis Postilis, loco & auditoribus, à se accommodatam recitent, potiùs

 ex scri-

ex scripto quàm nullo ordine atque iudicio, quicquid eis in mentem & os venerit, proloquantur temerè.

Prouideant denique, ne dum concio habebitur, deambulationes per Ecclesiam, aut confabulationes fiant: sed nec salcrum tunc Missæ officium, quod turbare audientes posset, celebretur, infantesué ad Baptismum, vel Eucharistia cum Oleo sacro ad infirmos deferatur, nisi periculum mortis instet.

De promulgationibus a Concionatore faciendis.

Finito sermone, dies festos, ieiunia, indulgentias, Censuras Ecclesiasticas, & alia his similia denuncient Parochi, commendentque publicas & priuatas necessitates orationibus fidelium, ac denique Confessionem cùm eis generalem recitent.

Famam autem, seu rumores gestorum alicubi, præterquã ob gratias Deo peragendas, aut implorandam eius opem, non promulgent! neque res perditas publicent; nisi id necessitas, vel magna paupertas damnum passi, postulet.

Festa porrò seruanda in hac Prouincia, denunciandaque populo, præter Dominicos dies, sunt hæc: Natiuitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis & Pentecostes, cum duobus diebus immediatè sequentibus; Corporis Christi, Inuentionis & Exaltationis sanctæ Crucis, Conceptionis, Natiuitatis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis, & Assumptionis B. M. V. Michaëlis Archangeli, Natiuitatis Ioannis Baptistæ; Apostolorum, Matthiæ, Philippi & Iacobi, Petri & Pauli, Iacobi maioris, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Iudæ, Andreæ, Thomæ, & Ioannis Euangelistæ, Innocentum, Stephani, Laurentij, Adalberti, Stanislai in Maio, Martini, Nicolai, Annæ, Mariæ Magdalene, Catherinæ, Agnetis, Margarethæ, Omnium Sanctorum, nec non proprij, loci aut Parochiæ cuiusque Patroni: quæ omnia & singula sanctificanda sunt à Clero & populo, cultu & veneratione sole-

mni.

mni. Si quæ tamen illorum, ex proprijs diebus transferri contingat in alios, tunc à Clero tantùm celebrabuntur in Eccleſijs: Labores autem & operas populi minimè impedient; ſolemnitatibus duntaxat, Annunciationis B. Virginis Mariæ, Sanctorumque Adalberti & Staniſlai in Maio, exceptis, quæ etiam tranſlata celebrare populus tenebitur. Dies autem Tranſfigurationis Domini, Præſentationis Mariæ, & ad Niues, Diuiſionis Apoſtolorum, Vinculorum Petri, Conuerſionis Pauli, SS. Marci & Lucæ Euangeliſtarũ, Gregorij, Ambroſij, Auguſtini, Hieronymi, Doctorum Eccleſiæ, necnon SS. Caſimiri, Elizabet & Heduigis: Clerus quidem venerabitur duplici officio, ſed populus auditâ Miſsâ laboribus & operis licitè vacabit.

Inſtante etiam Sancti aut Sanctæ alicuius feſto, cuius corpus, membra, vel aliæ inſignes reliquiæ habentur in aliqua Eccleſia, moneatur tempeſtiuè populus, & ad celebrandam illarum memoriam inuitetur; quod ſi multorum ſimul, vel innominatæ fuerint, vna ſaltem quotannis dies, obeundæ ibidem ſolemniter à Parocho commemorationi illarum, aſſignetur. Anniuerſaria quoque Dedicationis Eccleſiæ dies, promulgetur in Dominica præcedente.

Inculcandum eſt autem ſæpiùs à Parochis, non propterea dies feſtos inſtitutos eſſe, vt commeſſationibus, ebrietatibus, impudicitijs, choreis, luſibuſuè fideles indulgeant, temporeq́; ſaluti, & placando Diuino numini deſtinato, ad maiorem ipſius offenſam, atque animarum ſuarum perniciem abutantur; ſed, vt cùm tot alijs diebus curæ temporalium vacauerint, hiſce ſaltem diligentiùs ſpiritualibus inuigilent, ſeque ipſos colligãt; recogitent beneficia Dei, & gratias pro illis agant; ſacrificio Miſſæ & alijs diuinis officijs interſint, Concionem audiant, Sacramenta curandis animæ vulneribus adhibeãt, liberiuſque pietatis & charitatis Chriſtianæ operibus vacent.

Fora item, mercatus, & nundinas, ſicubi Dominicis aut

festis diebus peraguntur, suadeant transferri in alios Parochijs, ne hæc quoque occasio populum à diuinis retrahat.

Sed & ieiunia, obligantia ex præcepto vel consuetudine, denuncient sedulò. Magnus enim in ea re est abusus, multique non ieiunant, quando ieiunandi imposita est eis necessitas, & è contra, ieiunant cùm eos ieiunare nullum Ecclesiasticum præceptum, aut consuetudo publicè recepta cogit; sed priuata tâtùm deuotio suadet. Ieiunandum est igitur ex præcepto: in Quadragesima, Quatuor temporibus, Vigilijs Natiuitatis Domini, Assumptionis B. V. Mariæ, & omnium Apostolorum, præter Vigilias Ioannis Euangelistæ, Sanctorumque Philippi & Iacobi; Nam B. Matthiæ etiam si in dies Carnispriuij inciderit ieiunanda omninò, neque transferenda est in alium diem. In Vigilijs item Ioannis Baptistæ, Laurentij, & Omnium Sanctorum, ferijsque sextis toto anno, præterquam cùm in eas Natiuitas Domini inciderit. Ex consuetudine autem antiqua Prouinciæ, etiam in diebus, reliqua Beatissimæ Virginis festa, excepto Præsentationis & ad Niues, antecedentibus. Cætera ieiunia, si quæ præterea colunt & obseruant aliqui, libera sunt, placitoque & deuotioni cuiuscunque relinquuntur.

Indulgentiæ à Sede Apostolica concessæ, ex Tridentini Cōcilij decreto, ab Ordinarijs locorum, adhibitis duobus de Capitulo, sunt populis publicandæ. Cùm autem earum publicationes alijs commiserit Episcopus, ij promulgando salutares illarum fructus, ac vim planè cœlestem, edisserant, doceantq; populum, quo pacto implendis pietatis & deuotionis Christianæ, quæ tenore Indulgentiarum continentur, officijs, disponere se ad eas consequendas debeat. Ad quæstum tamen & eleemosynas, scandalosè à fidelibus exigendas, diuinum hunc thesaurum ne exponant, nullasq; inposterum Indulgentias, amplissimas & antiquissimas licet, pro quibus consequendis porrigendæ sunt manus adiuntrices, vsurpent, publicentué. Re-

uocatæ

uocatæ enim atque irritatæ sunt omnes huiusmodi, nullamque iam amplius vim & efficaciam habent.

Noua item miracula, ad templa, imagines, aut reliquias quorumcunque Sanctorum, nisi sint recognita, atque adhibito Theologorum consilio, approbata ab Ordinarijs, ne publicent; votaque oblata à fidelibus hoc nomine non recipiant, nec appēdant, nisi facto, & circumstantijs eius benè examinatis, & testimonio fide dignorum probatis, quæ in peculiari libro diligēter describant.

Bullam præterea Cœnæ Domini, bis ad minus in anno, primis scilicet Dominicis Aduentus, & Quadragesimæ, promulgent; zeloque & diligentia maiori qua poterunt, explicent, cùm omnia alia puncta & anathemata eius, seruientia huic Prouinciæ, tum illa præcipuè, quæ contra violantes iurisdictionē Ecclesiasticam, decimasque & bona spiritualium rapientes, fulminant. Efficaciam quoque & vim censurarum Ecclesiæ, cùm hac ipsa occasione, tum aliâs, vt si fortè quispiam incurrisse eas denunciandus sit publicè, diligenter populo inculcent, doceantque quàm meritò vitari & metui ab omnibus debeant.

De administratione Sacramentorum.

ET quoniam is, qui curam animarum gerit, præter ea quæ diximus, ad Sacramentorum etiam ministrationem paratus semper esse debet. Cogitent inprimis, ac perpendant secū diligenter Parochi, quàm ab omni labe peccati mortalis mundos ac liberos illos esse oporteat, ne dum opem saluti aliorum ferunt, sacra indignè tractando, æternam sibi ipsis asciscant perniciem.

Vt autem hæc diuina mysteria venerentur fideles impensiùs, maiorique illorum exardescant desiderio, non negligant Parochi, cùm aliâs sæpè, tum præsertim in administratione illorum, præstantiam atque dignitatem eorundem explicare.

Ministrent verò ea, ritu & cærimonijs, in libro Agendorũ præscriptis, superpelliceo & stola induti, materiam & formam debitas, adhibeant cum intentione.

Nullum item precium vel mercedem, ab ijs quibus ministrãtur, exigere quouis modo audeant. Consuetudo tamen legitima, pia fidelium largitione introducta, aliquid Ministro ad eius sustentationem, post ministratum liberè Sacramentum præstãdi, erit obseruanda.

Præcipuè verò, atque ante omnia, sub interminatione diuini iudicij, pœnisq; grauissimis infligendis Loci ordinariorum arbitrio, caueant; ne vel sine Baptismo infantes, vel infirmos sine Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæuè Vnctionis Sacramẽto, culpa aut negligentia illorum, contingat decedere.

De Baptismo.

ET ad Baptismum quidem quod attinet, qui est quasi ianua vitæ Christianæ, neminem extra Ecclesiam in priuatis ædibus, nisi ex necessitate, Regumué, aut Principũ filios, baptisent.

Erudiant nihilominùs plebem, ac præsertim fœminas, quæ obstetricantur, quomodo baptisare debeant infantem recens natum, in necessitatis casu; si nimirum adeò imbecillum videat, vt neque deferri ad Ecclesiam, neque dum Sacerdos veniat, superuiuere posse videatur; nempè, vt fundendo ter aquam super caput eius, proferant hæc verba: EGO TE BAPTISO, IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI. Ea tamen cautela adhibita, vt præsente Clerico non baptiset laicus, neque viro mulier, nisi fortè vir formam Baptismi ignoret; neque Catholico Hæreticus, aut Christiano, Iudæus vel Gentilis, qui etiam hoc casu baptisare possunt, modò aquã & verba debitè adhibeant, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia. Quod si sic baptisatus euadat periculum, deferendus est postea ad Ecclesiam, vt solemnes circa eum Baptismi cærimoniæ, prætermissis tamen exorcismis suppleantur.

Si

Si verò dubitetur, an vel huiuſmodi, vel expoſitus infans, aut etiam adultus baptiſari cupiens, baptiſatus ſit antea, & debitè, baptiſanduſque propterea, diu atque multùm re examinata videatur Parocho; adhibeatur hæc forma: Si non es baptiſatus, Ego te baptiſo, IN NOMINE PATRIS, &c.

Patrinos, Matrinaſuè, ad leuandum de ſacro fonte baptiſatum, vno, aut vna, vel ad ſummum vno & vna, plures non admittant Parochi; doceantque cognationem ſpiritualem, impedientem & dirimentem matrimonia contrahi hoc nomine, inter ſuſcipientes ex Baptiſmo, ac Baptiſatum ipſum, & inter illius Patrem & Matrem, necnon inter Baptiſantem & Baptiſatum, Baptiſatique Patrem ac Matrem tantùm; quemadmodũ Sacro Tridentino Concilio cauetur, *Seſſ. 24. de ref: c. 2.* Quorũ omnium nomina & cognomina, ipſemet Sacerdos manu ſua deſcribat, in libro Baptiſatorum, in hunc modum: Anno 1607. die 15. Octob: Ego N. Plebanus, aut Vicarius Eccleſiæ Parochialis N. baptiſaui N. Filium & N. coniugum legitimorum, Patrini fuerunt N & N.

Sed & Infideles, Hæreticos, Schiſmaticos, Excommunicatos, Monachos, à munere Patrinorum arceant.

De Confirmatione.

Confirmationis etiam Sacramentum, quod nos armat & induit virtute ex alto, quoties ab Ordinario loci, vel alio Epiſcopo de eius licentia miniſtrandum erit, inſtruant Rectores tempeſtiuè populum, de vi & effectibus eius; moneantque, vt ſemel confirmati non reiterent illud ſacrilegè: Confirmandi autem, corpora quaſi templa Spiritui ſancto peculiariter dedicanda præparent, & animos expurgent per confeſſionem, ſi præſertim conſcientia noxæ alicuius mortalis teneantur, aut ſaltim firmum confitendi quantociùs propoſitum habeant: linteola item munda, pro alligando ſibi in frontibus Chriſmate,

Patrinumque vel Matrinam, prout ipsi mares vel fœminæ fuerint confirmatos iam, non Patrem tamen aut Matrem, nec Vitricum, vel Nouercam, Maritumue aut vxorem, suos prouideant; qui plures duobus, vel tribus ad summum, vna die tenere non poterunt, & quos tenuerint, instruere debent ad omnem pietatem, ac fidei rudimenta docere, vtque piè, reuerenter, & ieiuni, excepta necessitate, ad Sacramentum hoc salutare accedant, neque nisi finito Confirmationis omnium actu, & benedictione Episcopali accepta, detersoque à Sacerdotibus, si præsertim remotiùs habitent, Chrismate, de templo discedant. Meminerint denique cognationem spiritualem in hoc Sacramento contrahi, inter Confirmantem & Confirmatum, illiusque Patrem & Matrem, ac tenentem. Quorum omnium nomina & cognomina, cum expressione temporis, curet annotari Parochus, in libro Confirmatorum in hunc modum: Anno, Mense, die, &c. Confirmatus vel confirmata est à Reuerendiss: Domino N. Episcopo N. filius vel filia N. & N. Patrinus vel Matrina fuit, N.

De Pœnitentia.

QVo frequentiùs in scopulos vitiorum impingunt fideles, eò vt sæpiùs Sacramentum Pœnitentiæ, quæ est secunda post naufragium tabula, frequentent, admoneant Parochi; semel verò ad minùs per annum, præsertim in paschate, confiteri eosdem etiam compellant, non confessos, notent & deferant Ordinarijs vel Visitatoribus eorum: ac demum si moniti parere noluerint, viuos aditu Ecclesiæ, mortuos, Ecclesiastica sepultura, arceant.

Hortandi sunt prætereà fideles, ac præsertim illi, qui rariùs confitentur, ne confessionem ad extremam vsque Quadragesimam, cùm maximè Sacerdotes obeundis functionibus Ecclesiasticis occupantur, differant; sed primam quidem, tempestiuè ante Dominicam Lætare, secundam verò, de, vel post commissis

miſſis, vel reuocatis in memoriam delictis, paulò ante ſacram Communionem faciant.

Omnes autem inprimis atque ſuper omnia doceantur, vt luſtratis & excuſſis diligenter conſcientiarum ſuarum latebris, integrè & apertè, nihilq; tacendo, aut palliando inuolucris verborum, effundant corda & animas ſuas, coram miniſtro Dei, internumque animi dolorem, ſaltem attricionis quem vocant, cum firmo propoſito non peccandi ampliùs, habere procurent; alias ſacrilegam, irritam, & nullam, ac proinde iterandam cōfeſſionem illorum eſſe.

His & alijs ſimilibus, publicè & frequenter populo expoſitis; Presbyteri quoque, non in domo, nec in Sacriſtia, locoué aliquo clauſo vel obſcuro, ſed in Eccleſia duntaxat, inque confeſſionali ad id deputato confitentes ſibi, præſertim fœminas, neque cateruatim, aut plures ſimul, etiam pueros, ſed ſingulos ſeparatim audiant, ſub pœna arbitrio Ordinarij irroganda.

Accedentes ad confeſſionem, arma ſi quæ habent, ob reuerentiam Sacramenti, ſubmiſſique animi ſignificationem deponere, rudiores autem aperire caput, ad pedeſque Sacerdotis, demiſſo in terram vultu, ac manibus ſupplicem in modum coniunctis, genu flexos ſe abijcere, & munire ſigno crucis doceat; deinde data eis benedictione hunc in modum: *Dominus ſit in corde tuo, & in labiis tuis, vt digne & competenter confitearis peccata tua, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* examinent breuiter, an ſciant neceſſaria ipſis ad ſalutem, perquirantque de ſtatu, & conditione illorum, ſi ea ignorant. Item à quanto iam tempore, proprioué Parocho, an integrè, neque tacito vllo de induſtria peccato fuerint confeſſi; an Pœnitentiam iniunctam tunc ſibi, impleuerint; an nunc diligenter examine diſcuſſerint conſcientiam; an Cenſuris Eccleſiaſticis innodati non ſint; ac cum demum recenſentes peccata ſua, patienter & attentè audiant, timidos confirment, vacillantes inſtruant, nec ſi enormia aut tur-

pia peccata protulerint, signum vllum admirationis abominationisué præseferant; sed ac si nihil prorsus audirent huiusmodi, ad finem vsque confessionis dissimulent.

Quodsi pœnitentes, peccata ipsi sua, ob pudorem, vel simplicitatem recensere nequeant, non contenti Sacerdotes confessionem generalem recitare cum illis, interrogent etiam singillatim, de commissis, omissisque contra Decalogum præcepta Ecclesiæ, & misericordiæ opera, de peccatis Capitalibus, clamantibus in cælum, & contra Spiritum sanctum; adhibita, vbi opus erit, peccatorum cogitationis, verbi, & operis, distinctione.

Potissimùm autem inquirant de illis, numeroque & specie illorum, cum circumstantijs mutantibus speciem peccati, aut idem valde grauantibus, quæ vel promiscuè perpetrantur nūc ab hominibus, vel propria sunt statui & conditioni cuiusque pœnitentis. Caueant tamen, ne nimium scrupulosis atque importunis percunctationibus, offendiculum præbeant infirmis, vel simplices doceant peccata, quæ ignorauerunt; neué eliciat nomina personarum, cum quibus confitentes peccauerunt.

Finitis interrogationibus, proponant opportuna peccatis cuiusque remedia, arguantque obsecrent, increpent, in omni patientia & doctrina; causas & occasiones peccatorū præscindere, restitutionem si quam debent, famæ, damni, aut rerum, facere præcipiant; doloremque inprimis pro peccatis, ac detestationem eorundem, propter offensam maximè Dei, cum firmo proposito non peccandi amplius, excitare in animis confitentium studeant, inculcando grauitatem, & turpitudinem peccati, ac consequentia illud damna.

In pœnitentijs autem, & satisfactionibus iniungendis, non sint nimium mites, neque nimium seueri, sed pro qualitate criminum, doloreque, ætate, sexu, statu, & conditione pœnitētium, pœnas culpis quàm maximè congruentes irrogent, vt

pecca-

peccatores à vitijs quidem arceantur, non deterreantur tamen à confessione.

Deniq́ue præmisso, *Misereatur tui &c.* extensaq́ue super caput pœnitentis dextra manu, absoluant eum in hunc modum: *Dominus noster IESVS Christus, per suam piissimam misericordiam dignetur te absoluere, & ego auctoritate illius, absoluo te, a vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quæ incurristi, quantum possum & indiges. deinde, absoluo te ab omnibus peccatis tuis, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Formataq́ue super illum cruce, addant: *Passio Domini nostri IESV Christi, & merita Beatissimæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum, & quicquid boni feceris vel mali sustinueris, cedant tibi in remissionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.* Atque hæc præcisé verba, nihil detrahendo, addendo, mutandoué, adhibeant in absoluendo omnes: si qui verò diffidant memoriæ, descripta in tabella, & ante se posita, legant. In absolutione tamen laicorum, omittant semper verbum illud *suspensionis*: soli enim Clerici promoti ad Ordines, pœnam suspensionis incurrunt.

Caueant præterea, ne peccata audita in confessione, verbo, signo, aut alio quouis modo, directè, vel indirectè, extra illam prodant, sub pœna depositionis, carcerisq́ue perpetui, & excommunicationis sententia. Sed & in confessione ipsa vitent, nedum confitentes grauiora peccata narrabunt, suspirando, spuendo, signando se cruce, corrugando frontem, in citando sermonem, seq́ue agitando, aut aliâs quomodolibet suspicionem, illorum circumstantibus injiciant: imò si quem fortè ob reseruatum casum, aut quia peccatum, vel occasionem eius dimittere, satisfactionemué aut restitutionem præstare recuset, absoluendum, non existimabunt; signo saltem crucis, cum precatiuncula aliqua, propter circumstantes, admonitum prius ea de re, benedicant, & sic à se dimittant. Pœnitentias etiam tales non iniungant, ex quibus alij in cognitionem confessorum criminum, deuenire facile possint.

Ne verò se & alios decipiant Parochi, absoluentes à peccatis, à quibus reuera, ob defectum iurisdictionis, non possunt absoluere: nouerint benè Casus Sanctæ Sedi Apostolicæ reseruatos, tam iure communi, quàm Bullæ Cœnæ Domini, alijsque Constitutionibus Pontificum, de quibus post alios optimè Nauarrus: tunc & eos qui Ordinariæ potestati reseruantur.

Vocati ad ægrotos Parochi, sine mora accurrant, imò non vocati etiam, cùm primùm de aduersa valetudine illorum cognouerint, inuisant: hortenturque eos ad suscipienda Eucharistiæ Sacramenta.

Mulieres etiam grauidas admoneant, vt ob instans in partu periculum, confiteantur tempestiuè, doceantque eadem in cōfessione, ne se tunc, vel tempore menstrui, maritis cōmisceant.

Sed & morte mulctandis, ob publica crimina, exhibeant dignam Sacerdotibus Christi charitatem, munitosque Sacramētis comitentur ad locum supplicij, & ad piè in Domino moriendum, disponant.

De Sacrosancta Eucharistia.

QVandoquidem panis ille viuus, qui de cœlo descendit, propterea datus est nobis diuinitùs, vt eo vescentes, non deficiamus in via, sed in fortitudine eius ambulemus vsque ad montem Dei: exhortentur populum Rectores, vt ad Mensam hanc cœlestem, frequenter, aut saltem in festis solemnioribus, accedant. Si qui autem tempore Paschali, à die videlicet Palmarum, vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè, quo communicare omnes Ecclesiæ præcepto tenentur, facere id, nisi fortè iubente vel suadente ita Confessario, neglexerint; & quidem in propria ipsorum Parochiali Ecclesia, deque manibus Parochi, aut Vicarij eius: excepto, si vel degant tunc ipsi apud externos vel Sacerdos externus licentiam ad id Loci ordinarij Parochiuè habeat, notatos in libro denuncient Loci ordinario,

vel

vel Visitatoribus eius monitosque, & nihilominus inobedientes, prohibitionis, vt supra, ingressus Ecclesiæ, atque sepulturæ pœna mulctent, non obstante, quòd aliqui inimicitijs, aut actione in iure, impediri se à sacra communione causentur: quandoquidem petita ab offenso venia, & oblata satisfactione, semotaque penitus ex animo ira, & cupiditate vindictæ, habilem se quilibet ad eam reddere potest.

Contra verò, arcendi atque repellendi sunt, ab hoc pleno sanctitatis omnis Sacramento; excommunicati interdicti, concubinarij, fœneratores, ebriosi, & alij quicunq; publicè scandalosi homines, qui semel & iterum, ad sacram Synaxim, post promissam vitæ emendationem admissi, reuertuntur veluti canes ad vomitum, computrescuntque vt iumenta, in stercorib9 suis; nisi postquam reuera resipuisse eos, vitamque mutasse in meliùs, certum ac euidens fuerit. Sed nec pueris vsu rationis carentibus, adolescentibusuè, nisi priùs benè examinatis, ac pro captu illorum de vi & natura Sacramenti huius instructis, à Parocho permittenda est sacra Communio. Amentibus item atque furiosis, præterquam cùm vel lucida habent interualla, vel in mortis versantur articulo, expuitionisq; aut irreuerentiæ alterius non adest periculum, & si antequam in amentiam inciderant, desiderio Sacramenti huius flagrauerunt.

Accessuri ad mensam Christi, moneantur sedulò, vt attenta dignitate, atq; præstantia Sacramenti huius, quod non solum multiplices, vt alia gratias, sed etiam fontem ipsum auctoremque gratiarum omnium in se complectitur, probent primùm seipsos, & sic de pane illo edant, & de calice bibant; ne quod minatur Apostolus, rei aliâs corporis & sanguinis Domini peragantur. Ac proinde, vt excussis nauiter conscientiarum suarum recessibus, sordes & maculas omnes, confessione Sacramentali ex animis eluant; offensas & odia, si quæ mentibus alunt, deponant, dimittantque ex cordibus fratribus suis. Ma-

trimonio iuncti, per aliquot ante & post communionem dies, contineant ab inuicem; omnes autem à cibo & potu, à media præcedentis diei nocte, ad communionis vsque tempus, ieiuniq́ue omninò ad eam accedant. Deniq́ue sic se totos corporibus & animis præparent, vt dignum tantus hospes, maiestate sua habitaculum in illis reperiat.

Administraturi Eucharistiam Parochi, non discurrant cum illa per Ecclesiam, vt pleriq́ue facere frequenti populo solent, distributa vtrinq́ue veluti in filum agresti turba, à qua propterea ipsi, non solùm premuntur irreuerenter, sed & protruduntur quandoq́ue non sine periculo: quin potiùs ad Altare maius, vel aliud quod illis opportunum magis videbitur, erectis cancellis vel circumpositis pro tēpore æqualibus scamnis, iisdemq́ue decenter stratis, venerabundos, vt tam sancta & tremenda mysteria decet, sineq́ue tumultu, & impeditione alterius ab altero, accedere quidem ab vno latere Ecclesiæ, recedere autem ab altero iubeant.

Accensis deinde in Altari, si fortè extra Missam peragenda erit Communio, cæreis; ac vbi id Ecclesiæ facultates permittunt, etiam intortitiis, factaque generali Confessione siue à populo præloquente Parocho natiuâ illorum linguâ, siue à Clerico nomine omnium Latina, conuersus ad populum Parochus, dicat Orationem: *Misereatur &c.* & *Indulgentiam &c.* Deinde positis pro numero communicantium, non quidem in patina, nisi pauci sint admodum propter deiectionis vento, insuffiatione, aut motu aliquo incauto periculum, sed in calice consecrato, pixideue gestatoria, ad hunc vsum cōparata, pluribus vel paucioribus hostiis, vnamq́ue illarum summis dextræ digitis super vasculum tenens, & ad communicaturos versus, dicat: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Deinde subsequente verba eius populo, repetat ter: *Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.* singulisq́ue

singu-

ſingulas particulas porrigens, proferat hæc verba: *Corpus & Sanguis Domini noſtri IESV Chriſti, proficiat tibi in vitam æternam Amen.*

Recedenti ab Altari populo, propinetur à Clericis pro ablutione, vinum, ſi tenues reditus Eccleſiæ fuerint, aqua dilutum, in argenteo vel ſtanneo calice, non conſecrato tamen, mundũque ac nitidum mantile, pro abſtergendo ore offeratur.

Moneantur deniq; fideles, ne poſt ſuſceptam Euchariſtiam, commeſſationibus atque conuiuijs indulgeant; ſed modicâ refectione contenti, totum illum diem, viſitandis Eccleſijs, diuinoque hoc beneficio recolendo impendant.

Quando verò infirmi procurandi hoc Sacramento erunt, deferatur ad illos quàm honorificentiſſimè à Sacerdote, ſuperpelliceo, & ſtola induto, in vaſculo decenti, & velato, ſubq; vmbella, vbi id commodè fieri poteſt, præcedentibus Miniſtris Eccleſiæ, itidem ſuperpelliceatis, cum vexillis, facibus, cæreiſuè accenſis, & tintinnabulo: Hymnoſque, aut Antiphonas conuenientes huic Sacramento canentibus, ac populo ſequente; qui vt frequens & deuotus comitari aſſueſcat, moneatur ſedulò in Concionibus, ac præſertim ſicubi Confraternitates laicorũ pietati huic deſtinatæ habentur, vt illam aſſiduè exerceãt.

Et ſi quidem ægrotus non longè abfuerit, portentur ad minimum duæ particulæ, quarum vna in pixide, redeunte ad Eccleſiam Presbytero, maneat, ne inane vaſculum adoretur ab obuijs, qui ſi fortè tunc curru aut equo vehentur, deſilire ſubitò, procidereque in genua, & ſic flexi perſiſtere, donec Dominus & Deus illorum tranſeat, doceantur.

Quod ſi remotiùs à villa, vel Oppido, ac proinde equitem oporteat ire Presbyterum; tunc omiſſo dicto apparatu, vnicaque hoſtia, in perulam auro vel ſerico textam, quæ ex collo illius, cum nolliula tinniente pendeat, aſſumpta, proficiſcatur lento & modeſto gradu: vbi tamen ad locum peruenerit, ſuperpelliceum & ſtolam omnino adhibeat, miniſtratoque Sacra-

mento,

mēto, sine sonitu campanulæ, atq; occultata perula reuertatur.

Monendi sunt autem ij, qui Parochum, de infirmo salutare hoc viaticum exposcente, certiorem reddent, vt cubiculum eius purgari à sordibus, & profana inde omnia amoueri: mensam item, in qua super corporali Sacramentum collocetur, mūdâ atq; nitidâ mappâ sterni, ponique in ea cæreos accensos, & imagines sacras, aut saltem crucem cum vasculis aquæ benedictæ, & vini pro ablutione, ante Sacerdotis aduentum, curent.

Collocato vt supra Sacramento, si ob distantiam loci, vel instans mortis periculum, vnâ eâdemque operâ audienda ægroti fuerit confessio, primùm id Sacerdos, excedere omnibus cubiculo, atque foris orare iussis, præstet. Deinde sacram ei Cōmunionem exhibeat. Porrò aliâs semper, quando vicinitas loci, nec adeò afflicta infirmi valetudo patitur, aditum priùs hoc nomine, audiat, & præparet, tuncque demum ad eum Diuinā Synaxim ferat.

Ad neminem autem deferatur, qui eam reuera percepturus non est; quod si interea dum refertur, ægritudo infirmi ita inualescat, vt ei non possit tutò ministrari; tunc posita Presbyter super mensam pixide, immoretur paululùm, prostratusque genibus vnà cum alijs qui aderunt, Deum supplex oret; deinde cōsolato salubriter pro tempore ægroto, videndam si id optet, atque adorandam eidem Eucharistiam exhibeat, aut saltem recessurus, inclusa in vasculo, benedicat.

Potest autem, imò debet Sacramentum hoc ministrari ægrotis, tam valde & repentè vi morbi oppressis, vt periculum sit, ne sine viatico decedant, quandocunque etiam noctu, postque sumptum ab eis cibum, si nihil aliud obstet.

Denique monendi sunt magistratus, ne mulctandos capite, mori sine sacra communione permittant: communicaturosque huiusmodi exolutos vinculis, educi ex carcere in liberiorem ac decentiorem locum, pro reuerentia tanti Sacramenti faciant;

nec

nec quenquam, eo die quo Eucharistiam sumpsit, supplicio affici patiantur.

De Sacrificio Missæ.

QVia verò eadem diuina Synaxis, non Sacramenti tantùm, atque alimēti cælestis fidelium, sed etiam iugis, Christo ita ordinante, verèque propitiatorij, pro viuis & defunctis, Sacrificij vim ac nomen obtinet; prouideant etiam atque etiam Sacerdotes Domini, vt quàm sanctam, augustam, & tremendam hostiam hanc esse sciunt, tam piè & sanctè comparatis animis, locoque tempore, & modo conuenientibus, ad oblationem illius accedant.

Et inprimis, nemo in priuatis ædibus, extra Ecclesiam, vel Oratoria, ad hunc ipsum vsum deputata, probataque ab Ordinario, quin & in Ecclesia non consecrata, interdicta, profanata effusioneque violenta sanguinis, vel seminis humani voluntaria, hæreticorumue aut excommunicatorum sepulturis, vel aliâs quomodolibet polluta siue execrata, sine licentia Ordinarij, aut interdicti, profanationis, pollutionis, execrationisue huiusmodi relaxatione, celebrare audeat.

Nemo item ante auroram, vel post meridiem, pluriesue in die: Natali duntaxat Saluatoris excepto, in quo licitè tres Missas celebrare quilibet Sacerdos potest; primam quidem media nocte, secundam in aurora, tertiam interdiu, vel omnes tres simul post auroram horâ competente, ablutione tamen vsque ad vltimam reiecta. Sed & Missa *Rorate*, quam vocant, decantari solita in hac Prouincia per totum Aduentum, nunquam ante auroram cantetur, legaturue.

Nullus præterea excommunicatus, interdictus, vel suspensus ab Ordinum exercitio, publiceuè & notorie criminosus, nisi quem postea vitæ & morum honestas commendent; nullus itē vagus, peregrinus, ignotusque sine testimonio Ordinationis, & conuersationis suæ, ad celebrationem Missæ admittatur.

Nemo denique nisi ieiunus, vt supra, dormitione siue digestione præhabitis, recitatisq; horis Canonicis, saltem Matutino & Laudibus, Confessione item Sacramentali, si sibi sit conscius peccati mortalis, & copiam confessoris habeat, præmissa, aut saltem contritus, firmumque propositum cōfitendi, quamprimùm confessorem nactus fuerit, habens, sacrum Missæ officium celebrare audeat.

Recollecto deinde à profanis animo, atque in sedula mysterij huius cogitatione defixo, statuat ipse secum, consecrare & offerre Sacrificium, pro qua tunc re, vel persona tenebitur ex officio, aut aliâs ipsi placuerit; præscriptasque in Missali preces, siue accessum, vt vocant, piè ac deuotè recitet; Missam dicendam reperiat, & singulas eius partes notet, ne tunc demum quærendis illis immoretur, cùm iam ad Altare fuerit; ad quod non accedat, nisi infrascripta hæc adsint.

Primò, Altare ipsum consecratum, aut saltem Portatile integrum, vel non enormiter læsum, neque violatum, tantæ latitudinis, vt calicem & hostiam capiat. Mappæ adminus tres mundæ, & quæ totum Altare tegant. Antependium decens. Ampullæ cum vino & aqua. Vinum autem defœcatum, merum, non acidum, neque alâs quomodolibet corruptum. Hostia triticea, pura, candida, illæsa, mediocriter subtilis, & recens. Calix cum patina, tersus, nitidusque, non fractus, nec æreus, aut ex aurichalco, sed argenteus, & ab intra saltem deauratus. Vestes item non sordidæ, nec laceræ. Corporalia, Pallæ, & Purificatoria benè lota. Vniuersa autem hæc, consecrata ritu solemni, & benedicta. Postremò, accendantur cærei, cruxque in medio altaris statuatur.

Tum demum vestitus decenter, vultuque & habitu totius corporis ad deuotionem composito, accedat ad altare Domini Sacerdos, dicatque & faciat omnia, iuxta præscriptum Missalis, nihil omnino addens, mutans, minuensuè, neque fidens

memo

memoriæ, ſed lecta in libro, ſecretiora quidem ſubmiſſè, reliqua autem clarè & diſtinctè pronuncians.

Non ſit autem nimium moroſus, neque celer, ſed adhibeat iudicium, ſeruet mediocritatem; geſtus omnes grauiter, genuflexiones profundè faciat, caueatque ne in eleuatione ſanctiſſimi Sacramenti, Hoſtiam vel Calicem retro caput declinet, ſed rectum vtrumque eleuet, fixoſque in illa occulos habeat.

Jlliberales etiam illæ, oſtiatim à Pauperibus Presbyteris pro celebrandis nouis Miſſis, aut apparandis potiùs illarum conuiuijs, ſolitæ fieri eleemoſinarum petitiones, vti ſcandaloſæ, ſtatuque & ordine Sacerdotali indignæ, quin & conuiuia ipſa lautè nimis ac inſtar nuptiarum conſueta tunc inſtrui, alijque ſimiles abuſus, omninò tollantur.

Dum cantata Miſſa habetur, videant Cantores vt concinnè, diſtinctè, ac nonniſi propria temporis cuiuſque, iuxta Rubricę Cathedralis & Miſſalis Romani præſcriptum, canant. In Votiuis autem, proſas cani antiquitùs ſolitas, præter eas, quæ ad calcem Gradualis, Cracouiæ recens impreſſi habentur, non decantent. *Kyrie eleiſon*, *Et in terra*, *Sanctus*, aliaque his ſimilia alieno à Miſſali textu ne infarciant, Choralique potiùs quàm ſymphoniaco cãtu, ſi huic vel numero vel arte ſunt impares, pſallãt.

Sed & fideles moneantur, vt deuotè, reuerenter, & attentè aſſiſtant diuinis myſterijs. Et inprimis, ne ſtatim poſt eleuationem ſanctiſſimi Sacramenti, non expectata, vt plurimi faciunt, communione, ex qua præcipuè auditæ Miſſæ fructus capi debet, anteque benedictionem à Sacerdote datam diſcedant; ſed ad finem vſque perſeuerent: alioqui prætérquam quòd ſpirituali ſe participatione Sacramenti huius priuant, præcepto quoque Eccleſiæ de audienda integrè feſtiuis diebus Miſſa, non ſatisfaciunt.

Conſuetudo etiam illa laudabilis, deferendi oblationes ad Altare, adorandæque & oſculandæ ſanctæ Crucis, ſicut retinẽda me-

da meritò, atque commendanda est fidelibus: ita vt quàm minimo eorundem tumultu ac perturbatione fiat, præsertim post peractam in Missa consecrationem, cùm attensissimos omnes esse decet, prouideant Parochi.

De Processione cum Sanctissimo Sacramento.

SAnctissimè institutum est ab Ecclesia, vt singulis annis in peculiaris Corporis Christi festo, celeberrime toto orbe instituatur Processio, in qua præcelsum hoc & venerabile Sacramẽtum, reuerenter ac honorificè, per vias & loca publica, circumferatur; cùm ad repræsentandum gloriosum Saluatoris nostri de morte triumphum, tum ad confundendam Hæreticorum perfidiam: quæ proinde celebritas, vt quàm pijssimè & ordinatissimè peragatur, dent operam Parochi, alijque, ad quorũ id munus & officium spectat.

Et in primis in Dominica solemnitatem hanc proximè præcedente, exhortentur populum, vt ieiunare, confiteri, communicare, ac non solùm dictam Processionem commitari, sed omnibus etiam diuinis officijs, tam ipso solemnitatis die, quàm per totam octauam, interesse studeant.

Quod vt libentiùs atq; ardentiùs faciant fideles, concessas hoc nomine à Romanis Pontificibus Indulgentias promulgent. Quisquis enim, pridie festi huius, verè pœnitens & confessus, ieiunauerit, vel in ipso festo sacram communionem sumpserit, Processionemuè dictam prosecutus fuerit, matutino aut sacro Missæ officio, primisuè aut secundis Vesperis interfuerit; pro qualibet deuotione huiusmodi, ducentorum; qui verò eadem die, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Completorio adfuerit, pro singulis pariter Horis, octoginta; qui denique intra octauam, Vespertina, Matutina solemnium Missarum & Horarum frequentauerit officia, ducentorum dierum Indulgentiam singulis eiusdem octauæ diebus, Apostolica largitione consequetur.

In ipso

In ipso porrò solemnitatis die, vbicunque plures habentur Ecclesiæ, omnes reliquarum, etiam Regulares, Clerici, absolutis in Ecclesijs suis Missis, & Processionibus circa eas factis, atque Eucharistia ex Altari in Sacristiam delata, ad Metropolitanam, Cathedralem, vel Collegiatam celebrem, si quæ adest, aliàs ad Parochialem Ecclesiam, modo & ordine, Cracouiæ nuper, iuxta consuetudinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ omnium Ecclesiarum mater est & magistra, instituto. Ad deducendum inde, per plateas ciuitatis vel oppidi, atque reducendum iterum sanctissimum Sacramentum, processionaliter, cum vexillis & crucibus; Regulares quidem habitu Ordinis quique sui, Clerici minores superpelliceis, Subdiaconi & Diaconi dalmaticis, Presbyteri cassulis pretiosioribus induti, habentesq́; singuli cæreos in manibus, quos in Processione accendant, ac singulos Ordines, Sacerdote superpelliceo, stola & pluuiali amicto, qui crucem aut sacras reliquias deferat, subsequente, hora à Prælato primariæ Ecclesiæ illis assignanda, conueniant. Vbi etiam Confraternitates sæcularium, & societates opificũ, cum facibus vel cæreis tempestiuè adsint.

Egredientie à dicta Ecclesia processione, & ad illam reuertente, omnes eius campanæ pulsentur, reliquarum autem Ecclesiarum, tunc, cum per vicina illis loca processio transibit.

Atque primo quidem loco, sodalicia laicorum procedant; hos sequantur pueri, seu scholares, lineis induti, non calices tamen sacros, vt magno & periculoso abusu fieri solet, sed candelas accensas, aut insignia Passionis Domini portantes; subinde Regulares, loco, & ordine quique suo; post hos Musica, & clerus sæcularis, cùm inferiorum si quæ adsint, tum principalis Ecclesiæ; ac demùm Sacerdos cum ministris, sacrosanctam Eucharistiam in tabernaculo ostensorio argenteo, subque baldachino, deferendo ab honoratioribus loci illius personis, magna deuotione, atque fixis in illam continuè oculis gestans.

 Sed &

Sed & alij omnes, modeſtè ac deuotè inter eundum ſe gerãt; neque colloquantur inuicem, aut curioſè hinc inde aſpiciant, ſed orationibus, & meditationibus pijs vacent, Pſalmoſq; Antiphonas, vel Hymnos pſallant, recitentue.

Conſtituantur etiam duo aut plures, pro eo ac frequens proceſſio fuerit, directores illius, viri maturi & graues, cum baculis rubeis, ad hunc vſum faciendis, qui progredientes ordinent, dirigant, & vbi opus erit, iubeant ſubſiſtere; arceantque populum, ne immiſcens ſe Clero, filum & ordinem proceſſionis perturbet, ſed vt omnes à tergo Sacramenti ſequantur, primò quidem mares, poſteriùs fœminæ, vtrique cum luminibus accenſis.

Viæ publicæ, per quas tranſeundum erit, mundentur, ornẽturq; nulla tamen in eis ſigna, aut imagines profanæ exponantur, nulla exhibeantur ſpectacula, vel repræſentationes; quæ oculos & animos tranſeuntium, à ſancta myſterij huius cogitatione auertant.

Altaria quoque pro ſtationibus paranda, ſtragulis cubilium, conopæis, & cæteris huiuſmodi, ad alios quàm ad ſacros vſus deſtinatis, non ornentur; omniaq; circa illa, modo & ordine, in libro Agendorum præſcripto, fiant.

Poſtremò finita & reducta ad eãdem Eccleſiam Proceſſione, omnes, tam Clerici, quàm laici, eodem ordine quo venerant, reuertantur ad ſuas Eccleſias, quæ & ipſe pariter, vbi id commodè fieri poteſt, præter Proceſſiones quotidie circa Eccleſiam obiri conſuetas, vnam ſolemniorem cæteris, Dominica infra octauas, vel in ipſa Octaua, per adiacentes ſibi vicos, cum populo ſuo inſtituant.

Deniqùe in pagis & oppidis, vbi vna eſt tantùm Eccleſia, per nobiliorem atque planiorem earum partem, non tamen per cãpos aut agros, quàm decentiſſimè, iuxta ſupraſcripta, hæc eadem Proceſſio fiat.

De Ma-

ACcessuri fideles ad magnum Matrimonij Sacramentum, meminerint se esse filios Sanctorum, & rem Sanctam tractare; ac proinde non sicut equus, & mullus, aut gentes quæ Deum ignorant sed vt Sanctos decet, cum timore Domini, iugum hoc subeant, gerantque.

Et inprimis non alio fine, quàm propter quem diuinitùs institutum est, ad illud accedant; ob procreationem videlicet, ac educationem prolis ad gloriam Dei, indiuiduamque vitæ, & aduersorum iuxta atque prosperorum omnium societatem, & communionem inter se colendam.

Debent autem iniri Matrimonia, libero & mutuo contrahẽtium consensu. Quod si Domini, aut Magistratus, sub quorũ iurisdictione contracturi degunt, eos quouis modo coëgerint ad contrahendum; pœnam anathematis à sacro Tridẽtino Cõcilio propositam, *Sess. 24. de ref. c. 9.* ipso facto incurrunt.

Sed & si quis mulierem rapuerit, præterquam quòd ipse & complices eius excommunicati sunt ipso iure, Matrimonium etiam inter illos non potest consistere, quàm diu rapta in raptoris potestate manserit; si tamen separata à raptore, inque tuto & libero loco constituta, in Matrimonium eius consentiat, eam raptor in vxorem habebit.

Consanguinei quoque & affines, vel cognatione spirituali coniuncti, non admittendi sunt ad Matrimonium, in gradibus à iure prohibitis, nisi dispensationem à Sede Apostolica obtineant, & probent. Ac cognatio quidem tam consanguinitatis, quàm affinitatis legitimæ, ad quartum vsque gradum; affinitas autem ex fornicatione contracta, ad secundum inclusiuè, impedit illud & dirimit: idemque operatur cognatio spiritualis, ex Baptismo & Confirmatione, inter certas personas proueniens, de qua supra.

Quò meliùs autem innotescat Parocho, an hæc, vel alia huiusmodi

iusmodi, contrahendum Matrimonium non impediant; nullos copulare audeat, sub pœna arbitrio Loci Ordinarij infligenda, absque trinâ, in tribus continuè Dominicis, vel Festis ad populum celebribus, publicè intra Missarum solemnia, denunciatione præmissa: nisi fortè vel post Matrimonium differendas, Loci ordinarius ex rationabili aliqua causa, remittendas huiusmodi denunciationes censuerit, quemadmodum Trident: Concilij decreto prouidè statuitur, *Sess 24. de ref: c. 1.*

Tantò verò minùs præsumat, coniungere vagos & ignotos homines, nisi diligenti inquisitione de statu illorum, & an fidē alijs non dederint, facta; facultateque ob Ordinario loci, vel Officio eius, præstandi id, obtenta: neque item alienæ Parochiæ incolas, nisi licentia proprij eorundem Parochi, & de factis ab eo bannis; nec reperto tamen vllo impedimento, attestatione præhabita; aliâs si quis secus alterius Parochiæ sponsos, copulare Matrimonio, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tam diu suspensus manebit, donec ab Ordinario Parochi illius, qui Matrimonio jnteresse debebat, seu à quo benedictio suscipienda erat, sicut Decreto Tridentini Concilij cautum est, *Sess. 24. de fer: c. 1.* absoluatur.

Sed & si quod aliud præterea impedimenti genus, à Sacris Canonibus sancitum, occurrerit Parochis, admoneant ea de re, & repellant volentes contrahere, vel si, an reuera impediat, dubitent, suspendant tantisper, donec consilium atque sententiam peritiorum Sacerdotum exquirant.

Persuadeant autem sponsis, vt antequam contrahant, vel triduo saltem ante consummationem Matrimonij, quò vberiorem gratiam & benedictionem Domini recipiant, expurgatis per confessionem animis, piè, & deuotè, ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum accedant.

Meminerint contrahentes sponsalia per verba de præsenti, id est, Matrimonium ipsum nullum esse, nisi obseruata fuerit forma à

ma à Tridentino Concilio præscripta, *Sup. ibid.* id est, Parocho, & testibus saltem duobus, adhibitis.

Denique peractis omnibus ijs, quæ de ritu & administratione Sacramenti huius, fusè in libro Agendorum tractantur, notet diligenter Parochus nomina & cognomina, tam coniugum, quàm testium, qui aderunt: diemque & locum contracti Matrimonij, in destinato ad id libro in hunc modum: Anno, Mense, die, &c. Ego N. Plebanus, vel Vicarius Ecclesiæ Parochialis N. Matrimonium inter N. & N. contractum, confirmaui in eadem Ecclesia, vel alibi, Præsentibus N. & N. & alijs multis de populo, præmissis solitis denunciationibus.

De Extrema Vnctione.

QVò periculosiùs venenatus ille serpēs insidiatur calcaneo hominum, sæuiusq; quàm aliâs vnquam, in extremo agone positos aggreditur, eò diligentiores sint Parochi, in suppeditando eis vltimo præsidio, Extremaque Vnctione tempestiuè post alia Sacramenta, dum integris adhuc sunt sensibus, ministranda.

Si quem tamen illorum, vel violentia morbi, vel repentinus aliquis casus ita oppresserit, vt sensu & ratione penitus destituatur, confiterique propterea & communicare non valeat, inūgendus erit nihilominus, præsertim, si dum adhunc vsum rationis haberet, significationem pij animi præse tulit, confessusq; in proximo Paschate, Eucharistiam percepit.

Ac si quidem inter vngendum expiret, omittatur vlterior vnctio: si verò nō cōstet, viuusnê sit an mortuus, terminetur adhibità hac cautione: *Si es viuus per istam vnctionem indulgeat tibi &c.*

Quod si infirmus compos sit rationis, & audiat quæ ei dicūtur, consoletur eum præterea Parochus, suadeatque, vt ægritudinem illam patienter ferat, deponat curam rerum terrenarum, cœlestia cogitet, mortem ne timeat, quin potiùs bono &

alacri sit animo, misericordiam Dei speret, euocariq; se ex hac valle lachrymarum ad æternam fælicitatem gaudeat.

Oret item & ipse pro eo, & alios qui aderunt, vt orent, admoneat, sique illum animam agere perspexerit, ne discedat, sed præstò sit agonizanti, cum omni charitate, commendetq; Deo animam ipsius, Orationibus solitis, & maximo quo poterit pietatis Christianæ affectu.

Porrò in vna & eadem ægritudine, semel tantùm vngatur infirmus, idque in extremis; qui si conualescat, repetatur vnctio, quoties in simile vitæ discrimen inciderit. Cæterea quæ huc spectant, ex libro Agendorum petant Parochi.

De Sacramentalibus, Cæremonialibusq;, & abusu illorum tollendo.

QVàm pium est ac vtile, Sacramentalibus & Cæremonialibus Ecclesiæ religiosè vti; tam sacrilegum, aliter illa, vel alio quàm quo & qualiter instituta sunt, adhibere. Moneantur proinde fideles à Parochis, vt sale, aqua, vino, auena, auro, myrrha, thurre, candelis, palmis, igni, cibo, potu, & herbis benedicendis, pro tempore, iuxta vel institutum Ecclesiæ, vel cõsuetudinem Prouinciæ huius laudabilem, non superstitiosè, nec ad maleficia, vt aliqui faciunt, sed piè, sanctèq; ad propulsandas artes sathanicas, animique & corporis sanitatem benedictione Domini tuendam, vtantur; & inprimis ad offerenda illa Sacerdotibus, vel recipienda ab eis, modestè, ordinatè sineque strepitu & tumultu, accedant.

Puerperas fornicarias non inducant Parochi in templum, ne crimen earum videatur probare Ecclesia; sed si publicè peccauerunt, publicè pœniteant; si occultè, occultè etiã absoluãtur.

Cærimonialia quoque, tam Parochi, quàm populus, nonnisi probata & permissa ab Ordinarijs vsurpent. Porrò circuitus, seu Processiones circa fontem Baptismalem, in triduo Paschatis

ctis fieri consuetas, excepto Sabbato sancto circa benedictionẽ aquæ, ne faciant; eodemque tempore, madefactionibus aliorum petulantibus & periculosis, gestatione clauarum textarũ ex salice, quibus obuios cedunt, cursitationibus per pagos & oppida, quas ouationes vocant, obequitationibus segetum, ereptionibusque tunc ab inuicem sacrarum imaginum, quas per campos deferunt, ac decertationibus pro ijsdem nonnunquam cruentis, omninò abstineant. Die quoque Ascensionis Domini, simulachra dæmonum, ex laqueari Ecclesiæ, siue vndecunque aliâs, ne deijciant, neque insolenter ac tumultuose per publicas vias trahant. In festo etiam sancti Ioannis Baptistæ, ducendis circa ignes & arbores choreis, non vacent: aliaque his similia indigna Christianis, non exerceant. Hæc enim vel accepta sunt ab Ethnicis, vel eò diriguntur, malitia & fraude diaboli, vt populum à recolendis redemptionis nostræ mysterijs, cultuq; & obseruantia vtili festorum, ad nugas & ludicra auertant.

De visitatione Parochiarum.

QVia plurimum ad bonum regimen refert, præter prouidẽtiam mentis, corporis etiam sensus adhibere, & cuncta præsenti lucrari intuitu; non contenti publicè & in Ecclesia saluti suorum inseruire Parochi, priuatim etiam domi, statum, vitam, & mores cuiusque cognoscere studeant, habeantque descriptam in libro totam suam Parochiam, in quo appareat, quot & quas Parochia illa villas, villa domus, domus animas, comprehendant. Quæ quidem descriptio fiebat antiquitùs Kalendis Iannarij, vnde nunc fortasse Kalendas vocamus, vel initio Quadragesimæ.

His ergò temporibus, vel quando eis commodiùs videbitur, per se, vel Vicarios suos, ad pietatem, non ad quæstum, nec quærentes quæ sua sunt, sed quæ IESV Christi, domos singulorum visitent, ingressique, iuxta præceptum Domini dicant:

Pax huic domui, vel aliâ quapiam ex multis, quæ in Epistolis D. Pauli perpulchræ habentur, benedictionis formula vtantur.

Conuocatâ deinde totâ domo, instruant eos de necessarijs ad salutem; & an sciant munire se signo sanctæ Crucis, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, Decalogi & Ecclesiæ præcepta, examinent; deque vita, moribus, occupationibus, studijs & necessitatibus singulorum inquirant. Ac si quidem aliquos ebriosos, periuros, fures, fœneratores, fornicarios, adulteros, homicidas, blasphemos, festorum violatores, maleficijs & incantationibus deditos, aut quouis alio peccati & criminis genere obstrictos reperint, primùm eos, charitate atq; lenitate verborum, qua maxima poterunt, inter se & ipsos solos corripiant; deinde si nihil profecerint, vnum atque alterum, viros probos & prudentes, peccatoribus familiares, adhibeant; quod si ne tum quidē resipuerint, nomina & excessus illorum ad Ordinarium loci, vel visitatores eius, deferant.

Exortentur deinde, pro ætate, & conditione quemque sua, senes, vt sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide & patientia; Anus in habitu sancto, non criminatrices, nec ebrietati, præstigijs, lenocinijsue deditæ. Viduas, ne circumeant vicos, otiosæ, curiosæ, verbosæ, loquentes quæ non oportet, sed vt regant domos suas, filijs & nepotibus benè præsint, mutuamque vicem parentibus reddant. Maritos, vt diligant vxores suas, sicut Christus dilexit Ecclesiam, filios ad iracundiam ne prouocent, sed educent illos in disciplina & correptione, necessitatibus eorum prouideant. Qui enim suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & infideli est deterior. Vxores vt viros suos ament; subditæque sint illis, castas, & sobrias se præstent, curam domus habeant, & ne secum infantes propter suffocationis periculum, noctu in lectis locent. Filios, vt obediant parentibus; Seruos & subditos, vt ministrent Do-

minis

minis in simplicitate cordis, sicut Christo, non ad oculum seruientes, nec fraudantes, sed fidem bonam ostendentes, placẽtesq́ue in omnibus; Dominos, vt remittant minas, sciẽtes, quia vtrorumq́ue Dominus est in cœlis, & personarum acceptio nõ est apud Deum.

Postremò, si ibi sint aliqui pupilli, virgines, mendici, infirmi, aliæuè miserabiles personæ, quæ tam spirituali, quàm corporali ope indigeant, consolentur eos, ineantq́ue rationem, qua illorum orbitati, pudicitiæ, egestati, valetudini, consulatur; & tum demum, postquam seminauerint spiritualia, non erit magnum si corporalia metant, strenasq́; quas vocant, vel porrectiones, ab offerentibus vltrò accipiant. Dominus enim IESVS ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.

De cura & administratione hospitalium.

MAgnus census est pauperum, fidelium charitas, & diligẽs atq́; ordinata Hospitalium administratio; quæ cùm Pastoralis non postrema sit pars officij, dent operam Parochi, vt non solùm ipsi ex frugalitate & parsimonia sua, necessitatibus illorum subueniant, sed & alios, quibus fortè cura earum incũbit, inducant ad explendum sedulò Officium suum.

Et inprimis, vbi perpetui ex statuto, priuilegio, vel fundatione, non habentur Hospitalium administratores; viris probis, prouidis, industrijs, non tamen id ambientibus, vel debito aliquo Hospitali obstrictis, permutandis quolibet triennio, prouinciam hanc demandari curent, qui Inuentarium rerum omnium conficere, exhibereq́ue Ordinario loci, vel visitatoribus eius, sed & rationem acceptorum, datorumq́ue, reddere quotannis tenebuntur.

Prouideant autem, ne mendici, qui vel operâ victum possunt sibi quærere, vel habent aliâs vnde viuant, recipiantur ad Hospitalia

ſpitalia; prætextuque Eleemoſynæ, inertia otioſorum hominum foueatur; ſed confecti tantùm morbo, vel ætate, mutiliue, & ad laborem minimè idonei, ac præſertim incolæ loci illius, admittantur. Vagi autem & validi, ſi laborare noluerint, prohibeantur à Parochis mendicare apud Eccleſias; & à Magiſtratu ſæculari, à villis & oppidis expellantur.

Porrò in quolibet hoſpitali, cubicula atque hypocauſta virorum diſtincta ſint à fœminis, neque vnquam verſari ſimul permittantur. Si qui item alios contagioſo aliquo morbo poſſent inficere, ſeparatim à cætu & contubernio reliquorum maneant.

Neque interim dum corpora illorum curantur, negligantur animi, ſæpèque à Parocho, vel proprio Sacerdote, informentur ad patientiam, & de neceſſarijs ad ſalutem doceantur. Orationi etiam vacent aſſiduè, atque ſemel ſaltem in quolibet mēſe ad ſacram Synaxim confeſſi accedant.

Moneantur deniquè fideles, vt præter quotidianas eleemoſynas, quas vel ſedentibus ad ianuam Eccleſiæ mendicis diſtribuunt, vel collectori ad id deputato, in arculam pixidemué ſeratas imponunt; liberaliores interdum mittere, per ſuos, aut ipſi deferre, viſitareque Hoſpitalia, & ibidem pauperibus, aut Chriſto potiùs in illis, ſeruire aſſueſcant; quibus eleemoſynis cum annuo, ſi qui eſt, prouentu coniunctis, victus inde & amictus pauperum, lectiſternia, medicinæ, & aliæ neceſſitates procurentur.

Quo autem maturiùs, & maiori ordine iſta peragantur, elaborent Parochi, vt Conſules, vel alij locorum Magiſtratus, cū adminiſtratore ſiue Præpoſito hoſpitalis, Parochiſué etiam ipſis, ſemel ſaltem in menſe, vel ſæpiùs, prout neceſſitas poſtulabit, diebus feſtis, in loco ad id deſtinato, conueniant, acturi de rebus, ad rectum regimen Hoſpitalis pertinentibus; ſique aliqua occurrent pro tempore, quæ conſilio, ſubſidio, vel operâ indigere exiſtimauerint, in medium afferant, conſultent, atque

que

que opportuna adhibeant remedia; & inprimis prouideant, ne in dispensandis eleemosynis, aut prouentibus hospitalis, defraudentur viscera Christi.

De vita & honestate Clericorum.

VNus ædificans, & alius destruens, quid prodest? Cùm igitur Parochi, & alij, quibuscunque cura animarum incumbit, non tam sæpè doctrina, atque accurato officij sui exercitio, in resurrectionem, quàm vitâ corruptâ & malo exemplo, positi sint in ruinam multorum; caueant, ne quod Pharisæis exprobrauit Dominus, *dicunt & non faciunt*; voxque quidem illorum, vox sit Iacob, sed manus, manus Esau; quin potiùs in omnibus exhibeant seipsos, sicut Dei ministros, nemini dantes vllam offensionem, ne vituperetur ministerium nostrum, & nomen Dei propter illos blasphemetur.

Ac inprimis, vt ex habitu etiam corporis externo, interior compositio mentis animique illorum appareat, coronam, seu tonsuram in vertice capitis suo quisque ordini congruentem, deferant; barbam prolixè non nutriant, præcidique faciant frequenter superioris labri lanuginem, præsertim Sacerdotes, ob irreuerentiam sacrosancti Sanguinis euitandam; capillos nõ calamistrent, nec eminentiores supra frontem gerant.

Vestitu vtantur nigro, talari, modesto, non sordido tamen, ac pro conditione quisque sua. Annulos sub & amissione eorundem, & aliâ, iuxta valorem illorum, pecuniariâ pœnâ distribuenda in pauperes, non gestent, nisi Prælati, aut quibus hoc competit ex officio, dignitate, gradu, vel Priuilegio speciali.

Horas Canonicas singulis diebus, tempestiuè, integrè, attẽtè, & deuotè recitent ex Breuiario Romano, iuxtaque Rubricam suæ Diœcesis; ad cuius præscriptum etiam reliqua omnia Diuina officia dirigant.

Denique in suo quilibet officio, ac ordine, Deo, Ecclesiæ, & populo

populo, diligenter seruiant; otiumq; inprimis, quod multa docuit mala, imò omnium malorum est seminarium, cane peius oderint & angue; ac proinde, quicquid illis ab oratione, Ecclesiæ cultu, sacris officijs, cura animarum, reique etiam familiaris necessaria inspectione temporis supererit, totum id lectioni, & meditationi Sacrarum literarum tribuant, quo potentiores sint exortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.

Vitam deinde domi, piè, castè, sobriè, instituant. Et inprimis supellectilem domesticam, non pomposam, neque exquisitam, mundam tamen & decentem habeant, quæque, vt à vanitate & superfluitate omni absit, ita dignitati, & statui, vocatorum in sortem Domini, maximè conueniat.

Familiam quoque alant non superfluam, nec discolam, sed benè ac laudabiliter moratam, & quæ in vestitu, cultu, & omnibus actionibus honestatem præ se ferat, sicut decet ministros Ministrorum Dei.

Accubituri mensæ benedicant, & post eam gratias agant; lectionemque sacram, si qui legat non desit, comestioni adhibeant; gulæ & ebrietati, nec ipsi indulgeant, nec hospites, si quos apud se habebunt, ad eam inuitent; sed temperantiam & frugalitatem colant in omnibus, colereque alios mensâ suâ doceant.

Ex altera tamen parte, auaritiam, quæ est idolorum seruitus, fugiant serui Dei, caueantque, ne prouentus Ecclesiasticos, qui post prouisas competenter ipsorum necessitates, ornamentis Ecclesiæ, pauperumque eleemosynis debenrur, pro ditandis consanguineis coaceruent, vel surripiendas alienis, abusuris labore illorum, relinquant. Simoniæ item, & vsuræ, filiarum rabiosæ huius cupiditatis, abominentur turpitudinem, & grauissimas pœnas perhorrescant.

Ante omnia verò indignam, quæ etiam non nominetur in baiulis Christi, libidinem, suspicionemque ac occasionem eius omnem vitent; neq; concubinas, aut alias suspectas mulieres, præser-

præsertim iuuenes, vel in quarum obsequio aut familiaritate iuniores versantur, domi suæ tenere, vel extra fouere, vllamuè cum eis consuetudinem habere audeant; sub pænis à Concilio Tridentino, *Sess: 25. de ref. c. 15.* & Constitut: Prouincialibus expressis. Licitum tamen erit Sacerdotibus, morbo vel ætate affectis, prouectas iam annis & moribus fœminas habere, pro honesto seruitio: dummodò de turpi consuetudine secum suspecti antea non fuerint, & in separatis ab inuicem cubiculis maneāt.

Curent præterea, vt testimonium habeant bonum, etiam ab his qui foris sunt, sicq; inter homines versentur, ne in opprobrium incidant, & laqueum diaboli, sed cum Apostolo, bonus odor sint Christi. Et ideò tabernas compotandi gratia non adeant; commessationes & conuiuia sæcularium, etiam rogati, præsertim vbi fœminæ adsunt, non frequentent: profanis spectaculis, choreis, lusu aleæ & chartarum omninò abstineant: aues & canes venaticos non alant, nec venationibus clamorosis vtantur. Non sint etiam iracundi, maledici, aut percussores; quin nec arma vlla offensiua deferrant, vel deferri post se à famulis faciant, nisi quando sunt in itinere.

Non arent item in boue simul & asino, neque militātes Deo, implicent se sæcularibus negotijs; mercaturam proxeneticam, tabernariam, & alias indignas statu suo persequendi lucri artes non exerceant: œconomias seu arendationes, apud seculares præsertim, non subeant: negotia laicorum & tutelas non gerāt; neque causas in foro seculari aduocent, nisi fortè suas, & Ecclesiarum suarum, propinquorumuè, aut miserabilium personarum. Fideiussiones, excepta Ecclesiæ necessitate, non faciant: Clericos ad iudicem secularem, omisso proprio Pontifice, non pertrahant, neque citent, sub pœna depositionis & amissionis causæ. Iudicijs capitalibus non intersint, quin nec spectaculis suppliciorum, nisi confortandi puniendos gratia: Magnatibus secularibus, & multò minùs fœminis, pro Capellanis aut

Sacrificis non inſeruiant, ſine ſcitu, & expreſſa licentia Ordinarij in ſcriptis obtenta.

In ſermone ſint parci, graues, modeſti, prudentes, non mordaces, vaniloqui, mendaces, oſores, ſeminanteſue inter fratres diſcordias. In actione etiam omni humiles ſe, manſuetos, patientes, benignos, cùmque opus fuerit, fortes & inuictos animis, atque zelum Domini zelantes, præſtent.

Denique ita vitam & mores ſuos, domi foriſque componant, vt habitu, geſtu, inceſſu, ſtudijs, ſermone, & actibus omnibus, nihil niſi graue, moderatum, ac religione plenum præ ſe ferant, ſicque doctrina & exemplo luceant hominibus, vt debitam ſibi apud eos, & ordini ſuo concilient venerationem, normamque eiſdem, ac viuum exemplar, piè & ſanctè viuendi, ſeipſos exhibeant.

De conſeruatione bonorum, & Iurium Eccleſiaſticorum.

DIfficilè eſt egentem benè operari, & ideo dent operam Parochi, vt quoniam præter ſuſtentationem honeſtam ſui & ſuorum, fabricam quoque & ornatum curare Eccleſiæ, exercere hoſpitalitatem, ſubuenire inopibus, aliaque onera beneficijs & officijs ſuis annexa, quæ ſumptibus non modicis indigent, ſufferre tenentur; iura inprimis, bona, & redditus Eccleſiaſticos, quæ ſunt quaſi baſis atque ſeges rerum agendarum, manu teneant, & conſeruent: iuxtaque iuramentum, quod inſtituendi ad beneficia ſolenne in manibus Ordinariorum præſtiterunt, non modò non alienent ea ipſi, ſine ſpeciali & expreſſo ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, Ordinariorum, & omniumquorum intereſt, aſſenſu, quamuis id euidens Eccleſiæ videatur ſuadere vtilitas, ſed & alienata ab alijs recuperare contendant.

Quin neque locare eadem bona poſſint ad breue etiam tempus, anticipata ſolutione, vel compenſatione faciendarum à

locatore meliorationum, ad exitum vsque locationis, in præiudicium successoris reiecta; Hæreticisue, aut illis qui fundum contiguum Ecclesiastico habent, ne fines propterea turbari & subijci litibus contingat:

Bona item Ecclesiæ mobilia, vt ornamenta, cruces, & calices, dare, aut accipere pignori, vendereque aut emere iura, priuilegia, actiones, vel celare eadem aliunde habita, aut denegare proprijs Ecclesijs non audeant, sub pœna excommunicationis, & amissione beneficiorum.

Decimas manipulares, pensione pecuniariâ, pro perpetuis temporibus non commutent: præsentes tamen atque separatas à solo, liberum est eis pro suo arbitrio, cui, & quomodo voluerint vendere, dummodò æstimationem illarum, consultò, aut enormiter in damnum Ecclesiæ consequenter futurum, deteriorem non faciant.

Si qui autem seculares, perfractis omnium diuinarum atque humanarum legum, quæ Decimas statuunt, repagulis, persoluere easdem recusent, vel rapiant; moneantur à Parochis, vt tremendum anathematis fulmen, quo propterea feriuntur, exclusionemq; à Sacramentis & Ecclesiasticâ sepulturâ, horreant; quin & illud Prophetæ vereantur: *Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus.* Experimur enim quotidie eos, qui debitam Ministris Ecclesiæ Decimam subtrahunt, vix non reliquas omnes nouem partes perdere infeliciter, mittereque mercedes in sacculum pertusum, seminare multum, & inferre parum, prohibitis super eos cœlis ne dent rorem, & terra ne det germen suum, vel si aliquid pullulare atque excrescere cœperit, vrente subinde vento, ærugine vel grandine percuti à Deo, residuumque erucæ locustam, locustæ bruchum, bruchi rubiginem comedere. Cùm è contra alibi protestetur Dominus: *Inferte omnem decimam in horreum, & sit cibus in domo mea; & probate me super hoc, si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis omnem benedictionem vsque ad abun-*

abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ vestræ. Ego exaudiam cœlos, & illi exaudient terram, & terra exaudiet triticum, vinum, & oleum, & hæc exaudient Israel. Quæ, & alia similia, inculcare non negligant Parochi.

Iura quoque, Priuilegia, & litteras fundationum Ecclesiarũ, quò minùs fortuitis casibus subiaceant, & custodiantur securiùs, factis, & retentis apud se authenticis illorum exemplis, ad Cathedralis Ecclesiæ vel Collegiatæ, alicuius viciniòris Archiuium, vnà cum descriptione seu registro omnium bonorũ fructuumque sui quisque Plebanatus asseruanda, deferant, aut Actis Officij Ordinariorum inscribi procurent.

Domos item, ac prædia Ecclesiastica deformata ruinis, resarciant, & recens erecta tueantur quàm diligentissimè.

De funeribus & suffragijs pro defunctis.

VLtimum charitatis officium impendendæ populo à Parochis, funus est, atque oratio pro defunctis. Quamobrem, cùm primùm obijsse aliquem ex suis cognouerint, Psalmum *Miserere*, aut *De profundis*, pro anima illius orent, recordenturq; eius in Missa, quam primam habebunt.

Persuadeant autem hæredibus, & amicis defunctorum, ne diu cadauera insepulta teneant; oppressos tamen repentino aliquo morbo aut casu, ante expletas viginti quatuor horas, vel quamdiu de vita illorum spes aliqua superest, sepulchro ne inferant. Sumptus funerum vt faciant moderatos, expendendæque potiùs pauperum fami, vel sacrificijs pro anima defuncti procurandis, quàm erigendis pompose cenotaphijs, aut conuiuijs lautè apparandis, studeant.

Exequiarum cantus atque ritus omnes, eo modo & ordine fiant, quibus eos liber Agendorum describit. Sed & Conciones funebres, sic instituantur, vt non tam mortuorum celebrẽtur in ijs encomia, quàm viui, ad meditationem mortis, & emendationem vitæ inducantur.

Faces

Faces, & cærei, tela item, pannus, vel sericum, si qui ditiores vti istis vice pallij communis maluerint, Ecclesiæ illi, in qua corpus humatur, vel ministris eius, pro consuetudine cedant. De reliquis autem, tempestiuè cum Parocho vel alio superiore loci componant curatores funeris, ne in Ecclesia demum concertationes de rebus huiusmodi, ereptionesué illarum ab inuicem indecentes, ac tumultuariæ fiant. Quarta tamen funeralium, iuxta sacros Canones & Constitutiones Synodi, salua & integra maneat Parochiali defuncti Ecclesiæ, vbicunque is tandem extra illam, electione etiam sua, sepeliatur.

Porrò, equos induci in Ecclesiam, vel eos qui hastas frangũt, incitato cursu deijcere se ex equis, cum magno periculo non permittant Parochi; possunt tamen hæc, & similia, præsertim in funeribus Magnatum, à peditibus, aut extra Ecclesiam fieri.

Prohibendi autem & arcendi sunt ab Ecclesiastica sepultura, præter Paganos, Iudæos, & Hæreticos, paruuli abortiui, & sine Baptismo mortui, excommunicati maiori Excommunicatione, interdictique nominatim, nisi reconcilientur Ecclesiæ: decedentes autem in torneamento, vel duello; cõsciscentes mortem sibi ipsis, nisi id ex amentia, vel contra intentionem suam fecerint, vt si quis volens effugere, præcipitet se in fluuium, & pereat; inijcientes violentas manus in personam Ecclesiasticã; non confessi, & non communicati in Paschate, nisi consilio Sacerdotis à communione abstineant; blasphemi in Deum & Sanctos, rapientes decimas, vsurarij manifesti, nisi pœniteant, & fatiant saltem cautionem de restituendo; Monachus inuentus proprietarius, supplicio affectus impœnitens, ac denique quilibet notorius peccator, in ipso notorio mortali decedens, nec confessus, aut signum saltem voluntatis confitendi, vel contritionis, non exhibens. Nemo tamen ob debita, aut non solutas obsequij operæué mercedes, sepulturam cuiusquam impedire audeat.

Prouideant item Parochi, ne pias fidelium voluntates, qui fundando aut dotando Ecclesias, suffragandi pro se onus ministris earum imposuerunt, deperire vlla ratione, fraudariué patiantur; nec perfunctorié, sed diligentissimè illud & adimpleant ipsi, & à vicarijs suis, alijsque adimpleri faciant.

Quod si in aliquibus Ecclesijs, vel tam magnus Missarum celebrandarum hoc nomine impositus est numerus, vt omnibus præscriptis diebus celebrari nequeant, vel adeò tenues pro celebrandis illis assignatæ sunt Eleemosynæ, vt non facilè inueniatur qui subire hoc munus velit; significent id quàm primùm Loci Ordinario, cui, in Synodo Diœcesana licitum erit de his statuere, quod magis ad Dei honorem & cultum, Ecclesiarumque vtilitatem expedire viderit, quemadmodum statuit Tridentinum Concilium, *Sess: 25. de ref. c. 4.*

Nunquam tamen die Domininco, festoué solenni præcepto ab Ecclesia, aut consuetudine publica priuataue recepto, etiam si fortasse in illa inciderent, peragantur Anniuersaria, aut Missæ pro Defunctis, sed in præcedentem vel sequentem diem, nō impeditam simili festo, transferantur.

De rebus post obitum Clericorum relictis.

CVm Parochus aliquis è viuis excesserit, ne subinde Ecclesia detrimenti aliquid patiatur, diuque opportuno solatio careat; teneatur statim alius vicinior, proprium Decanum vel Officialem foraneum, illi autem, Ordinarium loci, vel Vicarium eius generalem, per litteras aut Nuncium certiores ea de re facere; addito, testatusné, an intestatus decesserit.

Ipse verò interim, adhibitis Consule, Iudice, vel alio loci Magistratu, atque aliquot viris Parochiæ, fide dignis, nec non hæredibus vel amicis defuncti, si adsint, conficiat inuentarium, tam iurium & supellectilis Ecclesiasticæ, quàm rerum defuncti, omniaq; illa tuto & idoneo loco deponat, retento apud se

Inuē-

Inuentarij exemplo, quod postmodum, cui vel de iure competet, vel nos mandauerimus, consignabit.

Nemo autem, cuiuscunque status & conditionis existat, etiam Patronus Ecclesiæ, sanguineué coniunctus defuncto, citra vel voluntatem eius, in testamento auctoritate ordinaria firmato expressam, vel arbitrium & dispositionem aliâs Ordinarij, bona huiusmodi beneficiatorum inuadere, rapere, aut quouis modo vsurpare sibi, clam palamué audeat, sub pœna excõmunicationis latæ sententiæ.

Teneantur item hæredes defuncti, Clerico in Beneficium eius successuro, libros, scripturas, instrumenta, & iura quæcunque ad beneficium illud spectantia, ac in bonis mortui reperta, etiamsi proprijs illius expensis confecta, vel extracta fuerint, gratis omnino extradere, sub eadem excõmunicationis pœna.

Quamuis autem & consuetudine antiqua, & statutis Prouincialibus, liberum sit Clericis huius Prouinciæ disponere ac testari de suo peculio; nullus tamen quocunque colore & prætextu, concubinæ suæ, vel filijs ex fornicatione susceptis, audeat quicquam de prouentibus anni gratiæ, vel aliâs de rebus intuitu Ecclesiæ acquisitis relinquere. Si quis secus fecerit, legatum non teneat, & quod ita relictum est cedat Ecclesiæ, cui viuus seruiuit.

Porrò ex intestatorum bonis, absolutâ sepulturâ, persolutis debitis, expedita familia, consolatis propinquis, fabricaque Ecclesiæ & anima defuncti procuratis, quod reliquum erit, arbitrio Ordinariorum dispensetur.

De congregationibus Cleri per Decanos rurales faciendis.

ET quoniam frustra leges & statuta conduntur, nisi debitæ mandentur executioni; Loci Ordinarij verò assiduè interesse omnibus, atque, & quomodo singuli Parochorum, vel satisfaciant muneri suo iuxta suprascripta, vel mores & vitam instituant:

ſtituant, explorare ſemper ipſi per ſe nequeunt; expedit, vt præter illos, Viſitatoreſque illorum, Decani etiam rurales ſedulò inuigilent, auctoreſque ſint & ſtimuli alijs, ad omnia hæc, quàm accuratiſſimè præſtanda.

Et inprimis quilibet eorum, omnes Decanatûs ſui Parochias, vbi ſitæ ſint, & quàm latè pateant, quoſuè aut quales habeant miniſtros nouerint probè: deinde bis in anno circumlato proceſſu, omnes earundem Parochiarum Rectores, Commendarioſque & Vicarios illorum, necnon Magiſtros Scholarum & Cantores, tempore ac loco, quæ opportuna magis videbuntur, conuocent; cantataque Miſſa de Spiritu ſancto, & oratione breui, qua potiſſimùm cauſas atque fructus Conuocationis huiuſmodi explicent, præhabitâ; hanc ipſam Epiſtolam Paſtoralem, cum aliquot Synodi decretis, quæ ad illos pertinent, legant, ſubindeque, an aliqui illorum in promotione ad Ordines ſacros, vel eorum executione, acquiſitione beneficiorum vel prouiſione, reſidentiâ, curâ, & reparatione Eccleſiarum, prædicatione verbi Dei, doctrinâ neceſſariorum ad ſalutem, adminiſtratione Sacramentorum, in ſacrificijs ſacramentalibuſuè, pietate in pauperes, officio in defunctos, bonorum vel iurium Eccleſiaſticorum tuitione, vitâ denique & moribus à præſcripto illius defecerint, ſedulò inquirant; & quos opus fuerit, fraternè admoneant: reprehendant, corrigant, vel ſi id grauitas exceſſuum poſtulet, aut contumaces fuerint, ad Ordinariũ loci, vel Vicarium eius generalem deferant.

Si quæ item ſcandala, vel neceſſitates Eccleſiarum, aut caſus explicatu difficiliores occurrerint, inito cum alijs conſilio, quod optimum & maximè ad rem facere videbitur, ſtatuant, decidantque; vel ſi res maiori egeant indagine, à Loci Ordinario perquirant.

Nemo autem inter conſulendum, immodeſtis vocibus perſtrepere, vaniſuè aut obſtinatis diſceptationibus contendere

audeat:

audeat: sed omnia sedatè, & imperturbatâ recti iudicij acie peragantur.

Si qui verò illorum, ad prædictam proprij Decanatus congregationem non venerint, vel iustas absentiæ suæ causas, literis nuncijsue non exposuerint, puniantur mulcta pecuniaria, statuenda pro culpa cuiusque, atque exigenda irremissibiliter ab Officiali foraneo, & Hospitali, aut Ecclesiæ loci, in quo cõgregatio celebrabitur, applicanda; agente pro ea Decano, expensis ex eadem pœna deducendis.

Acta denique & petita Conuentuum huiusmodi, subscripta à Decano, & duobus Sacerdotibus; quos electos à Clero Decanatûs sui, & ab Ordinario, nobis probatos, pro consilio atq; Vicenotarij publici semper adhibebit; ad Ordinarium loci seu Vicarium eius transmittantur.

Officij præterea eorundem Decanorum erit, litteras & Processus Ordinariorum, Officialiumque & Archidiaconorum suorum, circummitti ac exequi à Parochis sine mora facere; Visitatores intra Decanatum suum comitari, deque statu singularum Ecclesiarum, atque Ministrorum diligentia & moribus informare; necnon mandata illorum & reformationes debitæ demandare executioni; de vacantibus per obitum, aut aliter Ecclesijs, absentiaue Ministrorum ab eis, certiores reddere Ordinarios, quo citiùs ab eisdem, orbitati illarum consulatur; ac denique omnes Decanatûs sui angulos, necessitates Ecclesiarũ illius, Sacerdotum & populi mores, exploratos habere, Ordinarioq; vel Archidiaconos eorum, vbi & quando opus erit, auisare de omnibus,

Sed & ex altera parte, tam Parochi, quàm alij quicũnque Commedarij, Vicarij, Clericique eorum, oportet vt Decanos suos conuenienti honore prosequantur, debitamque illis obedienti-

dientiam præstent, nihil eos celando, quod sciscitabuntur pro suo officio, communicandoque cum illis confidenter sua & Ecclesiarum suarum incommoda, ac necessitates; quibus Ordinarij quantùm in illis erit, conabuntur prouidere, aliâs contumaces ac refractarios, moniti à Decanis punient grauiter, pro excessu & culpa cuiusque suo arbitrio.

Atque hæc sunt fratres charissimi, quæ ex illa immensa Constitutionum de cura & munere Pastorali congerie, assumenda, pro vsu vestro, & in hoc quasi compendium redigenda putauimus, cognitaque inprimis & familiaria vobis esse, ac vel ex his, quàm arduum, difficile, operosum, & periculosum sit, pretiosos sanguinis & gratiæ Domini thesauros, tam spinoso præsertim, tortuoso, lubrico, & infesto hostibus, quàm vita est humana itinere, in concreditis vestræ fidei hominibus, qui sunt vasa lutea, inuicem faciunt angustias, transferre ad cœlestem, quod vestri est officij, patriam, perpendere vos, etiam atque etiam optamus. Sed & circumferre oculos mentis vestræ, per totam hanc nostram Prouinciam, ac in quàm multis eius locis, refrixerit charitas, inundauerit iniquitas, sanguis sanguinem tetigerit cogitare. Monstra item hæresum, quæ depasta sunt vineam Domini, polluerunt Sanctuarium, profanauerunt Ecclesias, & plerasque vilius quam in pomorum verterunt custodiam, quæque adhuc, proch dolor! animos multorum occupatos detinent, intueri, atque pro viribus quemque suis, quasi in communi hoc incendio, opem & auxilium ferre. Hortamur proinde, atque obsecramus vos, per viscera misericordiæ Dei, vt vobis & saluti eorum, quorum sanguis de manibus vestis requiretur, attendatis; illuminetisque, & doctrina vestra illos, qui in tenebris errorum atque vmbra mortis sedent, & exemplo vitæ vniuersos; sicque proficiatis verbo & opere, vt vna cum

cum grege vobis concredito, ad gaudia possitis peruenire æterna. Quod vobis concedat benignus & misericors Pater luminum, & bonorum omnium largitor Deus, qui est benedictus in sæcula. Dat: ex Synodo Prouinciali Petricouiæ, Idibus Octobris. Anno Domini, M. DC. VII.

VARSAVIÆ,

Apud Viduam Joannis Rossowski, S. R. M. Typographi. Anno Domini 1634.